cogitare poſſe ſtatum illum ſuum florentiſſimum immutari : nec intelligeret, quid commodi capi poſſit ab amicis in rebus adverſis : uſus eſt ſententia Euripidis valdè gravi, & quæ potentiſſimos homines admonet fortunæ volubilitatis, ut auctoritate illius poetæ, quæ magna imprimis erat, declararet malo conſilio illum uſum fuiſſe. Eſt autem hic omnis locus : καὶ μοὶ τὸ τοῦ εὐριπίδου μετὰ καιρὸν ἐστι εἰπεῖν, ὅτι σοὶ πραγμάτων ἄλλων ποτὲ ξυμπεσόντων τῶν εὔξῃ τοιοῦτον ἄνδρα σοι παρεστάναι. *Victorius lib.26. Var. lect. cap.19.*

SCIPIO, ubi capta Numantia iterùm triumphans urbem invectus in concertationem cum C.Graccho pro Senatu, & ſociis venit, populuſque ob id infenſus ei pro Roſtris obſtrepuit. Me nunquam, inquit, exercituum fremitus perculit, nedum hominum collectitiorum, quorum eſſe Italiam non matrem, ſed novercam novi. *Plut. in Apopb.*

ANTONIUS Siculus Turcarum claſſem ad Callipolim noctu incenderat. Captus autem, & ad Imper. Turcarum adductus, interrogatuſque, Cur tantùm facinus auſus eſſet? magna animi conſtantia reſpondit: Mirari ſeſe, qui ex Chriſtiano homine hoc quærat. An neſcis, inquit, te unum eſſe, quem Chriſtiani homines meritò ſummo odio perſequantur omnes? qui pietatem noſtram tot annos crudeliſſimè inſectere? qui tot regna, tot urbes nobis ademeris? qui tot populos, tot gentes interemeris? Princeps, tantam indolem in juvene admiratus, diſſectum medium interfici, in publicumque proiici juſſit. *Egnat. lib.3. cap.4.*

NEGOTII
SUSCEPTIONE VEL
Ardui.

AGESILAUS, cùm fama manaret, Perſas ingenti exercitu in Græciam trajecturos: civibus ſuis parvo exercitu obtulit ſe non defenſurum modò patriam, ſed in Aſiam quoque trajecturum, atque inde de Perſis aut victoriam, aut honeſtam pacem reportaturum. Itaque aſſumptis decem millibus armatorum profectus in Aſiam, prælio Perſas devicit; ac deinde à civibus ſuis in patriam revocatus, integras copias lætus, victorque domum reduxit. *Fulgoſ. lib. 1. cap. 7. ex Plutarcho.*

Multa dicuntur Alexandro Magno in Perſas proficiſcenti prodigia oblata. In quibus illud maximè fuit memorabile, quòd Orphei ſtatua, quæ ex cupreſſo Libethris fuit, ſub ipſius acceſſum multo manavit ſudore. Quo prodigio cæteris exterritis, Alexander ſibi ſperandum dixit: fore interpretatus, ut ea expeditio multum laboris eſſet Poetis, & cæteris rerum ſcriptoribus allatura. Quantas ille ſecum copias ad id bellum traxerit, variè traditur: qui minimum dicunt, triginta peditum millia, & quinque equitum in Aſiam traducta memorant: qui plurimum, quadragintu peditum millia, equitum quadraginta. Cæterùm quantuſcunque ille fuit armorum apparatus (nam ob tantam belli molem non potuit non mirificus eſſe) adeò certam ſpem victoriæ ſecum tulit, ut triginta dierum cibaria, ſi vera Ariſtobulus tradidit, & ſeptuaginta duntaxat in ſtipendium talenta Macedo habuerit, cùm in Aſiam tranſmiſit. Navim conſcenſurus aliis amicorum alia tradidit, portoria, villas, prædia, quibuſdam etiam oppida diſtribuit. Perdiccas ab eo ſciſcitatus, Ecquid regi ſupereſſet? Spes inquit. Tum ille: Hæc & nobis commilitonibus communis eſt. Atque cum his prædium ſibi aſſignatum reſtituit. *Sabellicus lib.4. Enn.4.*

Cùm Athenis in republica adminiſtranda perpetuas contentiones Cleon, atque Nicias exercerent, quorum Nicias peritiſſimus rei militaris dux habebatur: contigit, ut Græcis prælio ab Athenienſium exercitu ſuperatis, quadringenti Lacedæmones ſe in Stagiram inſulam reciperent. Eos in poteſtatem ſuam redigere Athenienſes plurimùm cupiebant, & propterea in inſula ab Athenienſium copiis obſidebantur. Sed cùm potiri inſula, quanquam magnis laboribus defunctos Athenienſes, hyems ſæva, ſimulque loci ſitus egregiè munitus, ac præterea obſeſſorum ſingularis virtus non pateretur, hac de re Nicias, Cleonque ſæpius contenderent. Itaque, quod ea res voto non reſponderet, culpa Niciæ, qui dux rei gerendæ fuerat, adſcribebatur. Adeò autem inter ipſos contentio exarſit, ut Cleon: Si illius expeditionis munus ſibi ſoli demandaretur, ſe brevi feliciter finiturum, offerret. Decreta igitur ei provincia, tantùm fiduciæ Cleon præ ſe tulit, ut Athenis abiens dixerit, intra viginti dies ſe Lacedæmonios, qui obſidebantur, aut occiſurum, aut in poteſtate vivos habiturum. Huic fiduciæ fortuna quoque aſpiravit, ut quod Nicias militaris, dux præſtantiſſimus perdifficilè cenſuerat, Cleon intra deſignatum tempus feliciter conficeret. *Fulgoſ. lib. 3. cap. 7.*

P. & Cn. Scipionibus in Hiſpania, cum majore parte exercitus acie Punica oppreſſis, omnibuſque ejus provinciæ nationibus Carthaginenſium amicitiam ſecutis, nullo ducum Roman. illuc ad corrigendam rem proficiſci audente, P. Scipio quartum, & vigeſimum annum agens, iturum ſe pollicitus eſt, nec patris, nec Patrui funeribus à Repub. ſtudio averſus. *Val. Max. lib. 3. cap.7.* paulò pòſt ſecum reputantes Quirites, adversùs, quos Pœnorum duces, & in quibus regionibus bellum gerendum eſſet, vix cenſebant fieri poſſe, ut imbecillitas ætatis tantam gravitatem rerum ſuſtineret. Quare momento temporis, quaſi jam decretæ rei centurias pœniteret, magna animorum commutatio facta eſt. Quod ubi animadvertit Scipio, ſtatim advocata concione, ſic de ætate ſua, ac de bello, quod gerendum erat, diſſeruit, ut ad ſe unum intuendum omnes audientes: & ad priſtinam ſpem benè gerendæ rei populum Romanum converteret. *Auctor ejus vitæ.*

MARCELLINUS Anconitanus Epiſcopus, cùm extinguendo igni remedia non invenirentur: ipſe pedibus captus, contra incendii vim deferri ſe juſſit, vitæ ſuæ innocentia fretus. Itaque ſedatum eſt incendium. *Fulg. lib.3. cap.4.*

Vilis, Abjecti.

EPAMINONDAS, cùm ei cives irati, ſternendarum in oppido viarum contumeliæ cauſa curam mandarent (erat illud miniſterium apud eos ſordidiſſimum) ſine ulla cunctatione id recepit: daturumque ſe operam, ut brevi ſpatioſiſſimum fieret, aſſeruerit. Mirifica deinde procuratione abjectiſſimum negotium, pro ampliſſimo ornamento expetendum Thebis reddidit. *Val. Max. lib. 3. cap.7.*

ASSERTIONE HONORIS.

CN. POMPEJUS nondum in ſenatum lectus, triumphum poſtulavit. Cùm intercederet Sylla: Plures ſolem, inquit, exorientem adorant, quàm occidentem. Quod ubi audivit, ceſſit Sylla. *Plut. in Præcep. pol.*

CLAUDIUS Cæſar Germanorum Legatis in orcheſtra ſedere permiſit, ſimplicitate eorum, & fiducia motus, quòd in popularia deducti, cùm animadvertiſſent Parthos, & Armenos ſedentes in Senatu, ad eadem loca ſpontè tranſierant, nihilo deteriorem virtutem, aut conditionem ſuam prædicantes. *Suetonius.*

Friſiorum legati Verritus, & Malorix Romam ad Neronem principem publicè miſſi, cùm celebri ſpectaculo Pompeii theatrum ingreſſi, quoſdam obſervaſſent externo cultu inter ſenatores in Orcheſtra ſedentes, didiciſſentque id honoris exhiberi gentium legatis, quæ virtute, & amicitia populi Romani cæteras anteirent: Nullos mortalium, aut armis, aut fides Germanos præcellere, alta voce teſtati ſunt, atque ita progreſſi inter patres conſedere. Ejuſmodi virorum indole delectatus Nero, ambos civitate donavit. *Sabellicus lib. 8. Enn. 10.*

CONTEMPTU, NEGLECTU
aliorum, vel
Mandati, imperii.

P. Scipionis æquè animoſus, atque proſper in Africam tranſitus, in quam à Sicilia exercitum Senatu vetante traduxit. Niſi enim plus in ea re ſuo, quàm P. C. conſilio crediſſet, ſecundi Punici belli finis inventus non eſſet. *Val. Max. lib. 3. cap.7.*

Judicii.

ANTIGENIDAS tibicen, diſcipulo ſuo magni profectus, ſed parum feliciter populo ſe approbanti, cunctis audientibus dicit. Mihi cane, & Muſis: quia ſcilicet perfecta ars fortunæ lenocinio defecta, juſta fiducia non exuitur: quamque ſcit ſe laudem meritam, eam etſi ab aliis non impetrat, domeſtico tamen acceptam judicio refert. *Val. Max. lib. 3. cap. 7.*

Phocion, cùm aliquando ſententia dicta in concione celebraretur, orationemque ſuam pariter videret ab omnibus approbari, converſus ad amicos dixit: Nunquid imprudenti mihi excidit mali? *Plut. in Phocione.*

Roboris, Inſidiarum.

Scythæ poſt miſſa Dario dona avem, murem, ranam, ſagittas, cum peditatu, ac equitatu adversùs Perſas in acie inſtructi ſteterunt, tanquam conflicturi. Cùm interim lepus in medium proſiliit, quem ut quiſque vidit, inſequebatur. Perturbatis Scythis, ac vociferantibus, ſciſcitabatur Darius: Unde hoſtium tumultus exiſteret? Et cum audiſſet illos leporem inſectari, atque adeò ſe exercitu illis ludibrio eſſe, fuga ſibi conſulendum cenſuit, ne cum hoſte tam confidenter manum conſereret. *Herod. lib.4.*

ALEXANDER Magnus audito Darium triginta myriades in aciem produceret, dixit: Unus coquus non metuit multas oves. *Ant. Meliſſa, parte 1. ſermone 37. Max. ſerm. 71.* Cùm explorator ei diceret, majorem eſſe Darii exercitum, dixit: Oves etiam licèt plures, ab uno, aut altero lupo capiuntur. *Ibidem.*

MATHIAS CORVINUS Ungariæ rex, à Caſimiro, & Uladiſlao F. Poloniæ, & Boemiæ regibus Uratislaviæ obſidebatur: cùmque exercitum lectiſſimum hoſtium, qui Turcico robori opponi potuiſſet, conſpiceret, gemens, fremenſque capillos ſibi evulſit, Seſe dominum orbis terrarum futurum fuiſſe dictitans, ſi tales, tantaſque copias habuiſſet, quibus imperiti iſti reges tantùm abuterentur. Toto quinetiam obſidionis tempore urbis portas noctes dieque apertas habuit, in contemptum hoſtis: & ad eundem diſtrahendum equitatu in plures diviſo turmas, Poloniam depopulatus eſt. *Joach. Cureus in Sileſiæ Annalibus.*

Cùm LUDOVICUS XII. Novariam obſidens mœnia ejus ita quaſſaret, ut latè proſtratis, adapertiſque, Helvetiæ legiones in ſtatione conſpicerentur, nunquam tamen adduci potuerunt Helvetii, ut portam clauderent, ipſis etiam hoſtium caſtris oppoſitam: verùm Gallos ultrò provocabant, irridebantque, qui tantùm inanis operæ fruſtra ſuſcepiſſent, ut aditus in urbem pararetur, quando adapertis portis ad juſtam dimicationem fortibus viris, ſi animus ſuppeteret, eſſet irrumpendum. *Jovius in Leone X. lib. 3.*

Beneficii.

COTUS Thracum rex, ut ab Athenienſibus civitatem ſibi datam cognvit: Et ego, inquit, illis meæ gentis jus dabo. Æquavit Athenis Thraciam, ne viciſſitudine talis beneficii parem ſe judicando, humilius de origine ſua ſentire exiſtimaretur. *Val. lib.3. cap.7.*

L. PAULUS ÆMILIUS conſul creatus à populo, ſe hujus conſulatus cauſa populo gratias non agere dixit: quin potiùs ſi quem ſe meliorem ad expeditionem Macedonicam populus inveniret, eum eligeret, quia id ipſe æquo animo eſſet laturus: verùm ſi quid in ejus virtute ſpei repoſuiſſet, ſine verbis dicto ei audiens eſſet. *Plut. in ejus vita.*

Dignitatis.

Poeta Accius Jul. Cæſari ampliſſimo, & florentiſſimo viro, in Collegium Poetarum venienti, nunquam aſſurrexit: quòd in comparatione communium ſtudiorum aliquanto ſuperiorem ſe eſſe conſideret. *Val. Max. lib.3. cap.17.*

AUDACIA.

ANTIGONUS ſecundus commiſſurus cum Ptolemæi ducibus prælium navale monente gubernatore, naves Ptolemæi longè numero ſuperare: Me verò, inquit, ipſum præſentem cum quot comparas? *Plut. in Apopb.*

C. JUL. CÆSAR Apolloniæ in Epiro exſpectans reliquum exercitum, cùm is cunctaretur venire, noctu veſte tectus ſervili Brunduſium nave XII. ſcalmorum magnitudine contendere voluit. At quia æſtus maris vehemens incumbebat, & gubernator navem convertere nautis juſſiſſet, ut remearent: tum Cæſar, qui eſſet, aperuit gubernatori, inquiens: Perge, age audacter, nec quicquam time: Cæſarem vehis, unàque Cæſaris fortunam. Ea voce alacriores redditi nautæ, tempeſtate tamen victi, curſum recepere. *Plut. in Cæſare.*

SECURITATE.

DARIUS ad Arbela, ſive Gauſomela decies centenis millibus militum Alexandro occurrens, prælium conſerere ſtatuerat. Alexander, Dario facibus luſtrante exercitum, irridens ſuos, qui eum monebant, ne ſeſe temerè tantæ colluviei obiiceret, contulit ſe in tentorium cubitum. Ubi dicitur reliquum noctis alto ſopore fuiſſe præter ſolitum oppreſſus: obſtupueruntque duces, qui primo diluculo eum adjerunt, militibuſque ſuo nomine primùm, ut pranderet, pronunciavere: deinde urgente periculo ingreſſus Parmenio, & cubili aſſiſtens bis, terve nomine eum compellat. Ubi eum excitavit, rogat, Quid hoc rei ſit, quod ſomno indulgeat, perinde ac ſi vicerit? Tum arridens Alexander: Num tibi, inquit, non viciſſe videantur liberati à vagando, Dariumque in laxa, & devaſtata tergiverſantem regione conſectando? *Plut. in Alex.*

Canitur apud Germanos, Alexandrum magnum Aſia perdomita, in Europam arma convertere decreviſſe, miſiſſeque ad Germanos, finitimoſque quendam ex amicis, qui denunciaret, ne Tanaim, atque Iſtrum amnes injuſſu regis tranſirent, à latrociniis ſe continerent. Germani, militiæ factis magni ad verborum, linguæque certamina rudes, gladium Alexandro miſere per legatos: quos convivio adhibitos cùm Alexander, quidnam maximè timerent? (ratus, Se, dicturos) interrogaret. Nihil aliud, rex præſtantiſſimè (inquit quàm ne cœlum in nos ruat: & tamen ingentis animi regum, ſicuti decet amicitiam magni facimus. *Avent. lib.1. Bojorum.* Hoc ipſum tamen alii Gallorum legatis tribuunt erga Ptolemæum regem Macedoniæ.

MINIS.

ALEXANDRO apud Arbelas cum Perſis dimicaturo, cùm hoſtiles copiæ decies centena millia hominum viderentur excedere, ingeſſere Milites, ὦ βασιλεῦ, θάρρει, καὶ μὴ φοβοῦ τὸ πλῆθος τῶν πολεμίων: αὐτῶν γὰρ ἡμῶν τὸν γράσον οὐχ ὑπομενοῦσι. Confide rex, neque pertimeſcas hoſtium multitudinem: ipſum enim graſum noſtrum non perferent, hoc eſt, hircum, qui ſub alis noſtris latet. *Cælius lib. 24. cap. 18. A. L.*

Cùm Senatus decreviſſet, ut Scipio major pecuniam ſumeret ex ærario, renuentibus ærarium illo die aperire quæſtoribus, ſeipſum jactavit aperiturum. Quippe claudi ſua opera ærarium, qui id tanta impleſſet pecunia. *Plut. in Apopb.*

M. CATO decem annis poſt conſulatum cenſuram petivit. Eam petitionem ferè nobiliſſimi quique, & principes Senatus premebant. Itaque coitione facta ſeptem à ſe ſubornatos Catoni competitores in campum deduxere. Contrà Cato nihilo lenius agebat: Immò apertè pro Roſtris minitans malis, vociferanſque, magna luſtratione civitati opus eſſe: conſulere multitudini, ne leniſſimum, ſi ſapiant, ſed acerrimum deligant medicum, Eum ſe eſſe, & ex patriciis unum L. Valerium Flaccum: illo enim ſe ſolo collega ſperare: luxu, & mollitia velut hydra execta, atque aduſta, operæ pretium facturum: reliquos videre quoſque molientes, malè cenſuram gerere, quòd eos, qui geſturi eam ſint rectè, expaveſcant. Itaque populus Romanus deſignavit cenſorem cum Catone Flaccum, quaſi non candidatum illum cenſuræ, ſed cenſorem jam, & præcipientem audiens. *Plut. in Catone.*

Cùm ab Orientalibus exercitibus Probus Imper. invitus creatus eſſet, militibus, qui eum elegerant, dixit: Non eſt è re veſtra imperium meum, ò milites, neque ut arbitror mecum convenietis: quoniam ego, ut vobis blandiar, adduci nunquam potero. *Fulgoſus lib. 6. cap.4.*

BONA SUA DEFENDENDO.
Et vel
PROVOCATIONE.
Ad Judicium, Cognitionem
Dei.

☞ *Conſule Locum de Appellatione ad Tribunal Dei.*

Anno ſalutis 1105. Henricus Archiepiſcopus Moguntinus, vir pius, & pacificus, a criminatoribus Romam delatus, à Papa accuſatur tanquam ſomnolentus, & ineptus ad tantæ Eccleſiæ gubernationem. Miſit igitur Arnoldum quendam clericum ſuum, quem propter ingenii dotes recens in præpoſiti, & camerarii dignitatem extulerat, quemque ſibi propter beneficia omnium maximè fidum futurum eſſe credebat. Arnoldus Romam veniens ſuum benefactorem tetris conſpergit criminibus, atque impetrat, ut ſibi Archiepiſcopatus ille demandaretur. A Papa obtinet, ut duo Cardinale ad cognoſcendam, & determinandam iſtam cauſam in Germaniam ablegentur. Hi Vvormaciam delati, Henricum citant, qui comparens, ſimplicem veritatem ore ſimplici exponit. Sed judices muneribus faſcinati Henricum gradu deiiciunt, Arnoldumque in ejus locum ſubvehunt. Reſpondet Henricus: Si ad ſedem Apoſtolicam appellarem contra veſtrum iniquum proceſſum, Papa forſan ipſe nihil ampliùs attentaret, & nihil mihi accreſceret, niſi labor corporis, amiſſio rerum, & afflictio ſpiritus, & eviſceratio mentis, & evacuatio gratiæ. Appello ergo ad Dominum Jeſum Chriſtum tanquam judicem juſtiſſimum: vos cito ad ejus tribunal, ibi mihi coram ſummo judice reſpondebitis. Non enim juſtè, nec ſecundum Deum, ſed mercede corrupti, ſicut placuit, judicaſtis. Nec multò pòſt in Mo-

in Monaſterio quodam Henricus placidè obdormivit. Pauloque pòſt Cardinales eum ſecuti ſunt, uterque fœda morte extinctus. Unus enim in cloaca inteſtina omnia ſua effudit alter manuum ſuarum digitos articulatim abmordens, & de ore exſpuens, deformatis manibus, quaſi ſeipſum devorans exſpiravit.

Miles quidam argenteam patinam à D. Ladislao Ungarorum rege, ſuo patri donatam, apud Procerem non mediocrem oppignorarat. Cùm pignus repeteret, alter impudenter pignus negabat. Prætor Patinam D. Ladislai ſepulchro imponi jubet, ac illi adjudicari, qui eam impunè è loco ſacro accepiſſet. Qui pignus negarat, prior numen periclitatus, neque Patinam capere, neque loco movere potuit. Miles verò cùm ſupplex oraſſet, ut quod patri quondam primipilo dono dediſſet, filio ratum faceret, patinam accepit impunè. *Bonfin. lib.4. Dec.2.*

☞ *Vide Locum de Appellatione, Judicio. Hominum.*

Paulus Apoſtolus in vinculis detentus Cæſareæ, cùm id omninò Judæos agere videret: ut à præſide Hieroſolymam mitteretur, & in itinere ex inſidiis obtruncaretur, ad Cæſarem provocavit. *Act.25.*

Etſi à principe, iiſve, qui ſummam poteſtatem obtinent, appellari non poſſit, fuit tamen Mulier, quæ cùm à Philippo rege temulento condemnata eſſet, auſa eſt à Philippo ad Philippum ipſum magis ſobrium appellare. Atque ſanè crapulam excuſſiſſe dicitur oſcitanti: cauſaque diligentiùs inſpecta, Philippum æquiorem tuliſſe ſententiam. *Valerius Max. lib.6. capite 2.*

Philippus Macedo, Machætæ cujuſdam pro tribunali ſedentis cauſam cognovit, ſed dormitabundus, nec ſatis attentus ad juris æquitatem: Itaque ſententiam tulit adversùs Machætam. Verùm cùm is exclamaſſet, ſe ab ea ſententia appellare: rex iratus, Ad quem? inquit. Hic Machætas: Ad teipſum, ò rex, inquit, ſi expergiſcaris, & attentiùs audias cauſam. Ac tum quidem ſurrexit rex. Cæterùm poſteaquam cauſam apud ſe meliùs perpendit, intelligeretque Machæræ factam injuriam, judicata quidem non reſcidit, ſed pecuniam qua damnatus fuerat Machætas, ipſe perſolvit. *Plutarchus in Apophi. regum.*

Petebat Cn. Pompejus, partis jam multis victoriis, triumphum à L. Sylla dictatore ſibi decerni. Cùm autem ætas, & lex obſtaret, Sylla pertinaciter contrà reluctabatur. Qua re minimè motus Pompejus, ſe triumphum à populo impetraturum dixit. Et cùm ei relatum eſſet, Syllam, ſi id tentaret, Se ei adverſaturum: reſpondit, Neque ſe ob eam rem ab incœpto diſceſſurum, cùm plures orientem quàm occidentem ſolem venerarentur. *Plut. in Rom. Apoph. & in Pompejo.*

Peritorum.

Cùm LXXII. Interpretes Alexandriæ ſacra Biblia in linguam Græcam tranſtuliſſent, in gratiam Ptolemæi Philadelphi regis abſoluto opere, eorundem hortatu Judæos omnes convocavit, iiſque per Demetrium Phaleræum codicem prælegit. Quem Judæi omnes approbarunt, & verſionem fidelem, atque genuinam eſſe, teſtati ſunt. *Joſephus libro 12. Antiq. cap.2.*

Certamen.

Edgarus Britannorum rex, cùm reges omnes, qui ei parebant, in convivium adhibuiſſet, eique eſſet relatum, Rinandum Scotorum regem (cùm eum ſtatura puſillum inſpexiſſet) dixiſſe: Non mediocriter ſe mirari, quod ipſe, aliique reges, viri fortes, proceroque corpore, tam parvo homini ſubjectos ſe eſſe faterentur: nulla prorſus re dicta, venatum deduxit eum: dataque opera, ut ſolus cum eo ab aliis diſiunctus eſſet, Rinando alterum è duobus gladiis, quos ſecum tulerat, obtulit: dixitque, fortitudinis ejus periculum ſe facere velle, ut ſciret, an verbis in eo facta reſponderent. Rinandus vehementer territus, erroris veniam petens impetravit. *Fulgoſus lib. 3. cap. 7.*

Malcolmus III. Scotorum rex, confidentia ſua roboris inſidiatorem ſuum in ſolitudine provocavit.

☞ *Vide Tit. Clementiæ erga inſidiatores vitæ noſtræ.*

JUDICIO, CENSURÆ ALIORUM SE SUBMITTENDO: SIVE *Peritorum.*

Josephus Judæus, cùm libros de bello Judaico ſcripſiſſet, tanta ei ſecuritas affuit veritatis, ut primos omnium Imperatores belli Veſpaſianum, & Titum, teſtes non expaveſceret. Illis namque obtulit libros: & multis aliis Romanorum, qui bellis interfuere, plurimis etiam Judæorum venumdedit, qui Græca eruditione videbantur imbuti: quorum erat Julius Archelaus, Herodes, & ipſe rex Agrippa. Qui univerſi teſtimonium perhibuere, quod veritatem diligenter excoluiſſet. *Joſephus lib.1. contra Appionem.*

Magiſtratuum, Judicum.

Samuel Propheta, cum longo tempore Iſraelitis præfuiſſet tanquam judex, & illis etiam petentibus regem Saul dediſſet, eundemque ad Galgala coram omni populo confirmaſſet: ipſe magiſtratum depoſuit, deindè eos obteſtatus eſt, ut ſi qua injuria quemvis illorum affeciſſet, indicarent, ſeſeque eis ſatisfacturum. Illi verò Deo teſte interpoſito, nihil ſe contra illum habere aſſeruerunt. Samuel ergo Dei Beneficia illis exprobrans, ut oſtenderet, graviter eos peccaſſe, qui nulla de cauſa regem poſtulaſſent, non contenti Domino Deo ſuo, ad Dominum orabat. Et ſubitò (cum tamen tritici meſſis eſſet) tonare cœpit, atque pluere. Iſraelitæ territi, Samuelem rogare, ut pro ipſis apud Dominum intercederet. Quibus ille libenter annuit. *1. Regum 12.*

Scribit *Plutarchus*, Lycurgum rhetorem, ubi jam è vita demigrandum advertit, in matroum, ac buleuterium ferri ſe juſſiſſe, ut eorum, quæ in Republica geſſiſſet, pœnas daret, ſi quid foret delictum. *Cælius lib.9. cap. 7. Antiq. Lect. ex Plut. Decem.*

M. Antonius ille diſertus, non reſpuendo, ſed amplectendo cauſæ dictionem, quàm innocens eſſet, teſtatus eſt. Quæſtor enim proficiſcens in Aſiam, Brunduſium jam pervenerat: ubi literis certior factus, inceſti ſe poſtulatum apud L. Caſſium prætorem, cujus tribunal propter nimiam ſeveritatem Scopulus reorum dicebatur: cum id vitare beneficio legis Memmiæ liceret, quæ eorum, qui Reipublicæ cauſa abeſſent, recipi nomina vetabat, in urbem tamen recurrit. Quo tam pleno fiduciæ bonæ conſilio, tum abſolutionem celerem, tum profectionem honeſtiorem conſecutus eſt. *Val. libro 3. capite 7.*

Cùm abſente M. Antonio, & in Ægypto commorante, Fulvia Marci, & L. Antonius frater, adversùs Octavium Auguſtum jurgia pleraque cierent, quæ ad arma uſque, & novos tumultus ventura eſſe videbantur, idque omnino committerent adversùs eas pactiones, quæ ſimul cum M. Antonio, Octavio, Lepido convenerant: horumque jurgiorum nomine judicium Senatus Lucius, & Fulvia ſubire noluiſſent: ipſi milites, ac veterani omnes tædio bellorum civilium, Romam quaſi comitiorum cauſa profecti, cauſæ cognitionem ſuſceperunt. Nihil detrectante Octavio militare, atque caligatum judicium, abſentes Lucium & Fulviam citari juſſit exercitus. Hos, quia eſſe recuſarunt, injuriam damnari placuit, ac niſi pactis ſtare vellent (quæ juſſere milites in æde Veſtæ obſignari) eis jure, ac lege bellum indici, hoſteſque judicari. *Dion. libro 48.*

Subditorum.

Antigonus Macedonum rex, cùm ad regiam dignitatem recens aſcendiſſet, & haud obſcurè populi eam rem ægrè ferre dicerentur: virtutum ſuarum conſcientia fretus, in populorum conſpectu diadema, ſceptrumque depoſuit: palàmque monuit. Si alium quempiam ſe regno digniorem invenirent, ad eum ex arbitrio diadema, ſceptrumque deferrent: commemoratis antè iis rebus, quas magna virtute, gloriaque geſſerat. Hac animi fiducia populos movit, ut ultrò omnes eum ad capeſſendum denuò regnum hortarentur. Quod ipſe conſtanter tenuit, niſi antè de ſeditionis auctoribus ſupplicium ſumeretur. *Fulgoſus lib. 3. cap.7.*

Hoſtium.

Agesipolis Pauſaniæ filius, cùm Athenienſes querimoniarum, quas cum ipſo mutuas habebant, arbitram delegiſſent Megarenſium civitatem, quæ controverſiam inter eos componeret: Turpe, inquit, ſi Megarenſes melius norunt quid juſtum ſit, quàm hi, qui ſe Græcorum duces, ac rectores præſtiterunt. Megarenſes apud Græcos malè audiebant, cùm Athenienſes pleræque Græciæ imperarent. Ab ipſis igitur, quibus cum litem habebat, rex volebat finiri diſſidium: ſimul declarans & quàm ſuæ fideret cauſæ, & quàm adverſariis non diffideret: malens clariſſimæ civitatis judicio vinci, quàm Megarenſium arbitrio vincere. *Plut. in Lacon. Apoph.*

P. Furius Philus Coſ. Q. Metellum & Q. Pompejum conſulares viros vehementer inimicos ſuos, cupitam ſibi profectionem in provinciam Hiſpaniam, quam ſortitus erat, identidem exprobrantes, legatos ſecum illuc ire coegit? fiduciam non ſolùm fortem, ſed penè etiam temerariam exhibens, quæ duobus acerrimis odiis latera ſua cingere auſa eſt, uſumque miniſterii vix tutum in amicis, è ſinu inimicorum petere ſuſtinuit. *Val. Max. lib.3. cap.7.*

M. Cato ſuperior, ſæpenumerò ab inimicis ad cauſæ dictionem vocatus, nec ullo unquam crimine convictus, ad ultimum tantùm fiduciæ in ſua innocentia repoſuit, ut ab his in quæſtionem publicam deductus, T. Gracchum, à quo in adminiſtratione Reipub. ad multum odium diſſidebat, judicem depoſceret. Qua quidem animi præſtantia, pertinaciam eorum inſectandi ſe inhibuit. *Val. lib.3. cap.7.*

L. Crassus, qui eloquentia clariſſimus fuit, cùm exconſul provinciam Galliam obtineret, atque in eam Cn. Carbo, cujus patrem damnaverat, ad ſpeculanda acta ſua veniſſet: non ſolùm eum inde non ſubmovit, ſed inſuper locum ei in tribunali aſſignavit: nec ulla de re, niſi eo in conſilium adhibito, cognovit. Itaque acer, & vehemens Carbo nihil aliud Gallica peregrinatione conſecutus eſt, quam ut animadverteret, ſontem patrem ſuum ab integerrimo viro in exilium miſſum. *Ibid.*

ALIIS SE NON SUBMITTENDO.

Canutus V. cùm Valdemaro patri in regno Daniæ ſucceſſiſſet, à Friderico I. Imp. curiam adire, paternæque amicitiæ ſucceſſionem petere juſſus intercedente amicorum conſilio, quàm modeſtiſſimè reſcripſiſſet, excuſationis verbis à regnandi novitate quæſitis. Cui cùm Cæſar erepturum ſe regnum, aliique daturum, plena minarum epiſtola reſpondiſſet, ſolùm hoc reſcribere contentus fuit. Quærendum videlicet Cæſari eſſe, priuſquam ſibi regnum adimat, qui Danielem in ejus beneficio reponere cupiat. Qua reſponſi libertate non ſolùm minantem eluſit, verùm etiam plurimum à ſe fiduciæ in civium animis reponi docuit. Apud quem Cæſar fruſtra monitis egiſſe ſe videns, Syfridum Thuringiæ regulum, qui ſororem ipſius in matrimonio habebat, ſubornavit: quod literarum ſuarum efficacia nequibat, alienæ vocis ſupplemento perſuaderi poſſe ratus. Is ubi Daniam intravit, quanta regis charitate ob ſororis ejus matrimonium teneretur, quantiſque Cæſar viribus eſſet, expoſito, Abſolonem, Sunonem & Esbernum, qui ſoli ex amicis cum rege admittebantur, tum fidei quam Canuto, cujus tutores exiſterent, deberent, tum fiduciæ, quam ejuſdem pater in eorum pectoribus repoſuerat, admonitos, orare cœpit, ne amicorum nomine hoſtes agendo, creditum ſibi pupillum annis, & conſilio tenerum, grave, & intolerabile belli onus ſuſcipere jubeant, eumque ſub titulo tuendæ libertatis regno exuant: quin potiùs ſalutaribus illum conſiliis formare curæ habeant, Romanique Imperatoris curiæ adſcribi deforme non ducant. Reſpondit Abſalon, de ſe dubium non eſſe, quin utiles ſi noſſet monitus, Canuto libenter fuerit imperiturus: à quo ita Cæſaris amicitiam expeti velit, ut propriæ ejus majeſtatis decus incolume ſervetur. Nam & Valdemarum, Friderici partes, amicitiamque ſecutum, nihil fide ejus, aut promiſſione fallaciùs reperiſſe. Addidit & iſtud, ſtomacho ſtomachum retundens: Canuto, Cæſarique æquum regnandi jus eſſe, neque minore cum libertate hunc Danici regni, quàm illum Romani Imperii gubernacula tenere. *Saxo lib. 16.*

AD CONFESSIONEM INJURIÆ ADIGENDO.

Paulus, & Silas Philippus virgis cæſi, & in carcerem conjecti indicta cauſa, è carcere noluerunt egredi, priuſquam prætores venirent, & publicè eorum innocentiam confeſſi, orarent, etiam ne id ægrè ferrent, neſcivìſſe enim ſe, cives Romanos eſſe. *Actorum 16.*

OBTRECTATIONES AB ALIIS FACTAS. TUM *Diluendo.*

Solon in peregrinatione illa ſua Sardes venerat, & cum Crœſo Rege Lydorum accerſitus ab eo, accuratum, ſapientiæque plenum, ac magnitudinis animi ſermonem habuerat: nimis tamen liberum, & qui offenderet aures opulentiſſimi illius regis. Veritus igitur Æſopus, ne Solon ſibi magnum aliquod malum conciliaret libertate illa loquendi, ut prudens vir, & qui diù cum Crœſo vixiſſet, cognitoſque haberet mores fortunatorum hominum, veritatis inſolentium, dixit. Oportere cum regibus agere ὡς ἥκιστα, ἢ ὡς ἥδιστα, id eſt, aut non frequentare congreſſus ipſorum, aut dare operam ut illis placeas, ad voluptatemque loquare. At *Plutarch.* Solonem fecit, refellentem ſententiam illam Æſopi, ſimilitudinem eandem, immutato tamen uno verbo, ſequi: inquit enim, minimè id verum eſſe, ſed oportere cum illis verſari ὡς ἥκιστα, ἢ ὡς ἄριστα, id eſt, aut ſe removere à congreſſu illorum, aut quæ optima eſſent, loqui, & edere. *Victor lib.7. Var. lect. c.22.*

Cùm quidam Veſpaſiano inſtillarent, quaſi Orientis regnum ſibi vindicaret Titus F. deſciſceretque à parte, quod inter ſacrificandum de more priſcæ religionis diadema geſtaſſet; ut rumorem hunc filius tolleret, Romam expeditiſſimus venit, inopinanti patri vanidicos rumores coarguit. Mox imperii particeps, atque tutor cum patre triumphum egit, cenſuramque geſſit, & tribunitiæ poteſtatis, ac ſeptem conſulatuum collega: tanta concordia Imperium gubernantes Romanorum, ut nulla lyra conſonantiorem harmoniam redderet, quam ex juventute Titi, ac ſenectute Veſpaſiani, patris, ac filii, Reſpub. ſimul unionem jucundam, & reſonantem acceperit. *Cuſp. ex Suet. & Dione.*

D. Bernardus Claravallenſis, cùm Epiſcopum quendam fuiſſet hortatus, ut de quibuſdam regem admoneret, illeque ſtatim prima fronte reſpondiſſet: Salutem, & non ſpiritum blaſphemiæ, reſpondit: Dæmonium non habeo, neque ſpiritum blaſphemiæ in me habere credo: ſed nec maledixiſſe cuiquam, aut maledicere velle me ſcio, præſertim principi populi mei. Nec tamen poſteà minùs proptereà dilexit Epiſcopum, quàm anteà. *Auctor vitæ.*

Eludendo.

Athenis Lycurgus, cùm improperaretur ei, quòd calumniatorem pecunia placaſſet: Ergo, inquit, qui vobis eſſe civis videor, qui tam diu jam remp. apud vos tracto, & dare magis injuſtè quam capere comperior? *Plut. de Sui laude.*

Cicero orator, cùm illuderetur ejus nomen, monerentque amici, ut id immutaret: Redditurum nomen ſe Ciceronis, ait, Catonibus, Catulis, & Scauris illuſtrius. *Plut. in Apopht.*

Corrigendo.

Dux quiſpiam, qui utilem operam navaſſe ſe exiſtimabat civitati, cùm inſultaret Themiſtocli, & res geſtas ſuas contenderet cum ipſis: Cùm feſto, inquit, altercans dies poſterus, jactavit illum laboribus, & ſudoribus diſtrictum eſſe, ſe verò fruenda præbere feriantibus apparata. Ad quæ reſpondit, feſtum, Rectè ſanè: at ni ego eſſem, tu non eſſes. Sic niſi eſſet, inquit, tunc fuiſſem, ubi nunc vos eſſetis? *Plut. in Themiſt.*

Idem cùm à Græcis præteritus eſſet in muneribus pro re bene geſta ad Salaminem partiendis, Lacedæmonem abiens, ſummis affectus eſt honoribus. Poſteaquam Athenas rediit. Timodemus, unus ex inimicis ejus, livore inſaniens, dicebat illum Athenarum reſpectu, non ſui, à Lacedæmoniis honores aſſecutum. Et cùm non faceret finem talia dicendi, inquit ei Themiſtocles: O homo, ita res habet: neque ego, ſi Belbinitanus forem, ſic à Spartanis honoratus fuiſſem: neque tu etſi Athenienſi. *Herod. lib.8.* Aliter *Plut.* Cùm exprobraret ei Seriphius quidam: non ſua eum, ſed patriæ gloria ſplendorem aſſecutum: Rectè ais, inquit. At neque ego ſi Seriphius ſim, evaſiſſem clarus: nec tu ſi Athenienſis.

Epaminondas obiicienti, quòd Agamemnonis gloriam æmularetur: Falleris inquit: nam ille totius Græciæ præſidiis uſus decem annis vix unam cepit urbem: ergo unius hujus urbis præſidiis, uno die profligatis Lacedæmoniis, totam Græciam liberavi. *Eraſ. lib.5. Apoph. ex Plut.*

Thebani exules poſt Chæronenſem Philippi regis victoriam in patriam reſtituti ſunt, quibus civitatis adminiſtrationem Philippus conceſſit. Apud quos cùm quinque civitatis aſſertores poſtularentur, quod per injuriam eos in exilium egiſſent, ejus conſtantiæ fuerunt, ut omnes ſe auctores faterentur, contenderentque, meliùs cum repub. tunc actum, cùm illi damnati eſſent, quàm cùm in urbe reſtituti. *Sabell. lib. 3. Ennead.*

Cicero, cùm obiiceret ei Metellus, plures eum teſtimonio ſuo oppreſſiſſe, quàm defenſionibus ſervaſſe, quis negat, infit, plus mihi fidei quàm eloquentiæ eſſe? *Plutarch. de Sui laude.*

Retorquendo.

Hegesippo, cui cognomen Crobylo fuit, in Philippum concitante Athenienſes ſucclamavit quidam ex concione: Tune belli es auctor. Sanè herclè, inquit, etiam pullorum palliorum, publicarum exequiarum, & orationum funebrium, ſi victuri ſimus in libertate, nec imperata Macedonum facturi. *Plut. in Apoph.*

DINON Tarentinus, ductor exercitus, vir adprimè fortis, reique bellicæ ſanè quàm peritus, cùm in concione dixiſſet ſententiam, eaque civium ſuffragiis eſſet rejecta: deinde præco pronunciaret ſententiam, quæ vinceret: ſublata dextra. Hæc, inquit, potior. Nam hunc ad modum retulit Theophraſtus. Cæterùm Apollodorus in Rhytino illud adjunxit, cùm præco reſpondiſſet: At hæ ſententiæ numero plures ſunt: Dinonem protinus ſubjeciſſe. Sed hæ meliores. Atque ita pauciorum ſententiam fuiſſe promulgatam. *Plut. in Problem.* Hinc natum adagium, ſi quando ſignificaretur conſilium aliquod eſſe præſtantius, & conducibilius, etiamſi pluribus ſecus videretur: aut ubi qui numero pauciores eſſent, facultate præponderarent.

SCIPIO NASICA, vociferante Caii caterva, contrucidandum tyrannum: Haud abs re, inquit, hoſtes patriæ occupare volunt me interficere. Neque enim Romam ſtante Scipione cadere fas eſt, neque vivere Scipionem in præceps data Roma. *Plut. in Apoph.*

M. Terentius Varro, Sejani ſummus amicus, poſtquam in eum animadverſum, & inter alios, qui ejus amicitiæ cauſa rei poſtulati ſunt, etiam ipſe cauſam in Senatu dicere cogeretur: non modò amicitiam ejus negavit, quin oſtenderit, eum ſe maximo ſtudio coluiſſe, quem Tiberius in magno honore habuiſſet. *Dion. lib.* 58.

LAUDES AB ALIIS DICTAS.

Corrigendo.

PERICLES jam agente animam, lamentabantur, atque affligebant ſe neceſſarii, expeditiones ejus, & opes memorantes, ac quot trophæa, laureas, & urbes Athenienſibus partas reliquiſſet. Ibi ille paululùm aſsurgens caſtigavit eos: quòd cum multis communia, & fortunæ quædam magis, quàm virtutis inſignia adferrent: quod verò excellentiſſimum, ſummumque, & proprium ipſius erat, prætermiſiſſent. Nullum civem Athenienſem ipſius cauſa pulſatum fuiſſe. *Plut. de Sui laude.*

Interpretando.

SOCRATES quòd Apollinis oraculo ſolus eſſet ſapiens judicatus, cùm Græcia tot haberet ſophos, ſic interpretatur: quòd cæteros profitentes ſe ſcire, quod neſciebant, hoc nomine vinceret, quòd ſciret ſe nihil ſcire: & hoc unum ſe ſcire profitebatur. Cæterùm hanc Socratis modeſtiam vicit Anaxarchus, qui prædicabat ſe ne id quidem ſcire, quod nihil ſciret. *Eraſmus in Adagiis.*

MALA SUA CONFITENDO.

☞ *Hic ſolius Veritatis ratio habetur. Quatenus verò Confeſſioni Humilitas in abjectione ſuiipſius jungitur, ſic ad Contemptum honoris pertinet, quatenus Correctio delicti ad Pœnitentiam.*

QUÆ, QUALIA.

☞ *Vide Confeſſionis locum.*

MALA SUA AB ALIO REPREHENSA

NON EXCUSANDO, FERENDO.

☞ *Ex Tit. Reprehenſionis liberæ, non pauca exempla huc conferent, quatenus ii, qui reprehenduntur moderatè ferendo reprehenſionem, & (quod vulgò dictum) tacendo peccatum fatentur. Quatenus ferunt reprehenſiones, Fortes ſunt in tolerando, ſunt item Clementes in non ulciſcendo, Juſti denique reprehenſionem veluti pœnam non detrectando.*

DEMARATUS, cùm aſperiùs egiſſet cum ipſo Orontes, dixiſſetque quidam, Tractavit te Orontes aſperè: nihil, inquit, in me peccavit. Nam qui blandiuntur, lædunt: non qui agunt acerbè. *Plut. in Apoph.*

DIONIS Syracuſani generi ſui libertatem ferebat Dionyſius tyrannus, qui ſolus propè intrepidè, quod videretur, dicebat: ut inter alia cùm reprehendit eum de Gelone. Quippè cùm illuderetur Gelonis regnum, ipſumque Gelonem Dionyſius Siciliæ γέλωτα, id eſt, ludibrium dixiſſet fuiſſe: alii dictum ſe ſimulabant mirari. Dion verò indignatus: Atqui tu, inquit, tyrannide potiris, quia tibi Gelonis cauſa, habita fides eſt: tui cauſa fides tribueretur poſthac nemini. Et reverà pulcherrimum videtur Gelo oſtendiſſe civitatis ſub unius principatu ſtatum eſſe, Dionyſius fœdiſſimum. *Plut. in Dion.*

PHILIPPUS Macedo, offenſione cum conjuge Olympiade, & filio orta, cùm adveniſſet Corinthius Demaratus, ſciſcitabatur, qui inter Græcos conveniret? Cui Demaratus: Scilicet tibi convenit de Græcorum conſenſione verba facere, cùm tanta tecum intercedat tuis conjunctiſſimis ſimultas. Hinc ad ſe reverſus, depoſita ira, conciliavit cum eis gratiam. *Plutarch. in reg. Apoph.*

Victis ad Chæroneam Athenienſibus, traditum eſt à quibuſdam Philippum Amyntæ F. regem Macedonum peracta liberali potatione multo repletum mero, cum amicis ſaltationem jocoſam ex victoriæ gaudio iniviſſe, atque ita per mediam captivorum turbam progreſſum, contumelioſiùs vinctis illis calamitatem, quam patiebantur, exprobraſſe: tuncque oratorem Demadem, qui eo tempore in cuſtodiis erat, ſibi, quam loquendi audacia uteretur, non temperaſſe, verbumque ad regis petulantiam retundendam, accommodatiſſimum protuliſſe, inquiens: Cùm, ò rex, fortuna Agamemnonis perſonam tibi appoſuerit, non pudore afficeris Terſitæ actiones referens? Ea nominis dicacitate pulſatus Philippus, coronis abjectis, alioque ſaltationis ornatu, Demadem liberatum, honorifice tractavit. Inſuper verò captivos omnes citra redemptionem dimiſit, & per legatos cum republica Athenienſe ſocietatem, & amicitiam inivit. *Diod. lib.* 16.

ALEXANDER Magnus, Taxili Indiæ regi non tantùm dona omnia reſtituit: ſed mille etiam talenta de manubiis ſuperadjecit, vaſa adhæc ex auro & argento, cum Perſicis veſtibus, & equis triginta inſignibus. Ita cùm Meleager dixiſſet, Gratulari ſe Alexandro, quòd virum mille talentis dignum in India reperiſſet: hoc unum reſpondit; Invidos homines nihil aliud eſſe, quàm ſua ipſorum tormenta. *Sabell. lib. 6. Enn.* 4.

Cùm eſſet oraculum Delphicum recitatum, cæteris conſentientibus Athenienſibus, unum diſſentire à civitate civem: progreſſus Phocion, liberare ſe eos ait ſolicitudine: ſe, quem quærerent eum eſſe. Sibi enim eorum, quæ agerentur, uni placere nihil. *Plut.*

ANTIGONUS rex admirantibus, quamobrem tanti faceret Zenonem philoſophum? reſpondit: Quoniam quamvis multa à me acceperit, nunquam tamen emollitus eſt. Ejus mortem cùm audiſſet, ingemuit dicens: Quale theatrum perdidi? Erat enim Zenon acerrimi judicii, & ab aſſentando alieniſſimus. *Laert. lib. 7. cap.* 1.

PTOLEMÆUS rex teſſeris ludens, ſontes condemnabat. Berenice verò uxor excepto libello è pueri manibus, non permiſit, ut ad finem uſque legeretur, dicens: Non ſic obiter advertendum eſſe, cùm de hominis ſalute quæritur, ſed altiùs cogitandum, & relinquenda ludicra. Non ſimilem eſſe caſum teſſerarum, & corporum. Quibus auditis delectatum Ptolemæum ferunt, neque poſteà unquam inter ludendum de capitalibus cauſis cognoviſſe. *Ælian. lib. 14. cap. 43. Var. hiſt.*

SERGIUS GALBA C. Jul. Cæſarem, conſummatis victoriis in foro jus dicentem, in hunc modum interpellare auſus fuit: C. Jul. Cæſar, pro Cn. Pompejo Magno, quondam genero tuo, in tertio ejus conſulatu pecuniam ſpopondi, quo nomine nunc appellor. Quid agam? dependam? Palàm ei bonorum Pompeii venditionem exprobrando, ut à tribunali ſubmoveretur metuerat, ſed ipſa illud manſuetudine mitius pectus, æs alienum ex ſuo fiſco ſolui juſſit. *Val. Max. lib. 6. cap.* 2.

Cùm Auguſtus cenſor equitem Rom. reprehenderet, quòd bona ſua decoxiſſet: eo ipſo tempore eques à ſe auctas fortunas eſſe oſtendit. Item cùm ab eodem carperetur, tanquam de matrimoniis legem non ſervaſſet: ſtatim teſtibus quoque citatis, oſtendit ſe non ſolùm uxorem duxiſſe, verùm etiam ex ea trium liberorum patrem eſſe factum. Mox addidit: Cùm de probis viris quæſtionem inſtitues, Cæſar ejus rei onus probis quoque dato. *Fulg. l. 6. c. 2. ex Suet.*

C. MECOENAS Auguſtum Cæſarem pro tribunali ſedentem, cùm libenter admonuiſſet, ne injuſtos condemnaret, nec præ multitudine populi ad ipſum Auguſtum proximè accedere poſſet, ad eum ſchedulam in hæc verba ſcripſit. Tandem aliquando ſurge carnifex. Legit Cæſar, & quaſi aliud ſcriptum eſſet, epiſtolam in ſinum conjecit: nemineque capitis damnato, ſtatim ſurrexit: tantumque abfuit, ut ex ea re moleſtiam ceperit, ut ſummoperè approbarit. *Dion. Nicæus in Auguſto.*

Idem in quadam villa inquietas noctes agebat, rumpente ſomnum ejus crebro noctuæ cantu. Prehendendam curavit noctuam. Miles aucupii peritus, & ſpe ingentis præmii, captam pertulit. Laudato Imperator mille nummos dari juſſit. Ille auſus eſt dicere, Malo vivat, avemque dimiſit. Quis non miratur non offenſo Cæſare, abiiſſe militem contumacem? *Macr. l. 2. c. 4. Sat.*

Idem delactatus erat inter cœnam pueris ſymphoniacis Turonii Flacci mangonis, atque eos donaverat frumento, cùm in alia acroamata, & ludiones fuiſſet liberalis nummis. Eoſdem poſteà Cæſare inter cœnam quærente, ſic excuſavit Turonius: ad molas ſunt. *Macrob. lib. 2. Sat. cap.* 4.

Inter

Inter alia, inquit Julius Capitolinus, hoc eſt vel inſigne M. Antonini Pii civitatis argumentum: Nam Omuli domum inviſens, miranſque porphyreticas columnas, cùm ex eo quæſiſſet, unde eas haberet? ac reſpondiſſet Omulus: Cùm in domum alienam veneris, & mutus, & ſurdus eſto; patienter tulit. *Cælius lib. 13. cap. 5. A. L.*

Romanus III. Conſtantini Imp. F. Phocam Nicephorum interrogaſſe fertur, Cur res Romana peſſum iret? Cui ille magna libertate reſpondit: Ideò fit, quòd tu imperas, & pater meus exercitum ducit. Nam & tu imperium perperam adminiſtras, & ille pecuniæ ſtudet. Verùm ſi tu volueris, & animi, & æs Romanorum mutabuntur. His dictis juſſus ab Imper. re ſuo arbitratu adminiſtrare, ſtatim diſciplinæ militari veteri animum intendit. *Zonaras.*

MONICA, D. Auguſtini mater, cùm Mediolanum ad filium veniſſet, ejus converſioni ad fidem Catholicam inhians, cùm ad memorias Sanctorum, ſicut in Aphrica ſolebat, pultes, & panem, & merum attuliſſet, atque ab oſtiario prohiberetur: ubi hoc D. Ambroſium Epiſcopum vetuiſſe cognovit, tam piè, atque obedienter amplexa eſt, ut ipſe miraretur, quòd tam facilè accuſatrix potiùs conſuetudinis ſuæ, quàm diſceptatrix illius prohibitionis effecta eſſet. Nam ubi comperit a præclaro prædicatore, atque antiſtite pietatis præceptum eſſe, iſta non fieri nec ab eis, qui ſobriè facerent, ne ulla occaſio ſe ingurgitandi daretur ebrioſis, & quia illa quaſi parentalia ſuperſtitioni gentilium eſſent ſimillima: abſtinuit ſe libentiſſimè, & pro caniſtro pleno terrenis fructibus, plenum purgatioribus votis ad memorias martyrum afferre didicit: ut & quod poſſet, daret regentibus, & communicatio Dominici corporis illic celebraretur, cujus paſſionis imitatione immolati, & coronati ſunt martyres. *D. Auguſt. libro 6. Confeſſ.*

Amabat Jo. Ducas Imp. Marceſinam comitem Annæ Alemanniæ uxoris, Siciliæ regis Manfredi ſororis. Hæc cùm ſpectandi cauſa Blemmydæ monaſterium magnifica pompa ingrederetur: Nicephoras Blemmydes præceptor fores occluſit. Irritata mulier eo facto, Imp. ad vindictam ſtimulabat. At ille: Malæ ſementis malam meſſem patienter feramus neceſſe eſt, reſpondit. *Gregoras lib.* 2.

LUDOVICUS Landgravius Thuringiæ, in venatione à via aberrans, apud lignatorem pernoctavit, ſe Langravii præfectum venatorum eſſe dictitans. Ruſticus ſtomachosè multa de Landgravii aſſiduis venationibus, & improbis aulicis loquutus, acerbiſque dicteriis in illum invectus, dignum etiam infernalibus ignibus eſſe aſſeruit. Quæ ſcommata Princeps per totam noctem patientiſſimè tulit. Summo mane collaudato lignatore, gratus diſceſſit: & in poſterum vitam ſuam, & aulicorum mores emendavit. *Cyriac. Spangerb. in Venatorio diabolo.*

SUENO rex Daniæ LXXVI. (*teſte Saxone l.* 11.) quòd principes aliquot ad regale convivium invitatos, ob levem detractionis ſuſpicionem, in Eccleſia ſanctæ Trinitatis orantes, miſſis ſicariis interemiſſet: cùm ab Antiſtite, ſacra in feſto Circumciſionis celebraturo, ne Eccleſiam ingrederetur, repulſus eſſet: conſcientiæ rubore perfuſus: regia veſte depoſita, obſoletam accepit: abjectiſque regiæ majeſtatis inſignibus, inſigne pœnitentiæ ſagulum ſumpſit; nudatiſque pedibus ad atrium regreſſus, in ejus aditu ſe proſtravit, terramque ſuppliciter oſculatus, dolorem, qui ex contumelia infligi ſolet, verecundia, ac moderatione compreſſit. Tandem criminis confeſſione facta, religioni ſeſe ſatisfacturum promittens, remiſſa execratione, lacrymis abſterſis, depoſitiſque doloris inſignibus, Antiſtitis amplexu, & venia, in communionem Eccleſiæ (cui ob hoc ampliſſimas poſſeſſiones tribuit) eſt reſtitutus.

CASIMARUS, dux Stetinenſis (qui Stetinenſi urbi arcem, quam antè non habebat, impoſuit, & parere docuit populum per opes, & mercaturas inſoleſcentem) jam moriturus, vocavit urbis proconſules, commendavitque eorum fidei liberos tutandos. Tum ex eis quidam: Quomodo, inquit, filiis tuis præeſſe jubemur, qui illis te auctore ſerviliter ſubeſſe cogimur? Arcem nullo commodo veſtro, magno incommodo noſtro urbi impoſuiſti. Non patitur mercatura has injurias. Si præſidium liberis tuis quæris, antiquæ libertatis civitatem reſtituito. Perſuaſit itaque principi, ut juberet novam arcem demoliri, permiſſa civibus veteri libertate. *Crantzius lib. 11. cap.* 31.

MALA SUA EXCUSANDO, DILUENDO.

☞ *Vide Excuſatio.*

TUM MIRACULO.

Claudia Quintia, virgo Veſtalis, cùm in ſtupri ſuſpicionem veniſſet, & ſimulachrum Ideæ matris ex Peſſinunte adductum in vado Tyberis hæreret: ad comprobandum ſuam pudicitiam, cingulo navem duxiſſe fertur, quàm hominum multa millia trahere nequiverunt. *Guido. Livius lib. 9. Dec.* 3.

Gregorius VI. Pont. Max. moriturus familiariter caſtigaſſe fertur ſupremi ordinis Antiſtites, qui de ſe malè opinari dicerentur, præcepitque ut ſuum defuncti corpus, clauſis foribus, ante templum D. Petri ſiſterent: futurum, ut ſi piè, juſtèq; pontificatum adminiſtraſſet: divina voluntate ſibi templum pateſceret. Si, inquit, jacuero excluſus, corpus inſepultum abiicite. Mirum eſt, quod accidiſſe ajunt, continuò ubi defunctum corpus pro templo eſt ab iis, qui ferebant, deſtitutum, vehementiore flatu fores patuerunt, ac cum magna ſanctitatis opinione corpus templo illatum. *Fulg. l. 3. c. 7. & Sab. lib. 2. En.* 9.

JUREJURANDO.

PELAGIUS, Rom. Pp. inſimulatus de morte Vigilii Pp. tenens ſancta Evangelia & crucem, jurejurando publicè ſatisfecit. *Sigebertus in Chron.*

Leo III. Papa ferens Evangelium in baſilica Petri, ambonem conſcedit; invocatoque ſanctæ Trinitatis nomine, de objectis criminibus jurejurando ſeſe purgavit, præſente Carolo Magno Imp. cùm Romanus populus ſanctum Domini judicare nollent. *Annal. Franc. an. Dom.* 800.

Quidam, Teutonici ordinis magiſtro apud Pruſienſes mortuo, cùm de ſucceſſore ageretur, jurejurando priùs obito, eum ſe quem ſalva poſſet conſcientia in defuncti locum renunciaturum, ſemetipſum renunciaſſe, & à reliquis militibus virtuti ejus fidentibus confirmatus fuiſſe narratur ab *Ænea Syl. c. 29. Europ. & Sabel. l. 4. En.* 10.

HEDUIGIS regina Poloniæ, infamiam ſtupri, ſibi à Gnevoſſio Dalevicio ſubcamerario intentatam, juramento diluit. *Cromerus lib.* 15.

Matthæus Magnus Vicecomes, crimen hæreſeos ſibi ab æmulis falsò intentatum aperta confeſſione diluit. Tradito enim ſponte ſua filio Galeacio principatu, deduci ſe ad templum Mediolani maximum juſſit, ut ad aram advocatis ſacerdotibus Chriſtianæ fidei ſymbolum præclara voce recitaret, teſtareturque jurejurando, ſibi immerenti ſacra eripi, quòd nuſquam à ſacroſancto dogmate diſceſſiſſet: itidemque Dei maximi ultoris numen invocabat, poſtquam Beltrandi Vaſconis legati pontificii ſententia condemnatus, patria excedere cogeretur. *Jovius in ejus vita.*

COMPARATIONE ALIORUM.

ZENO, cùm Theophraſtum eſſe conſpicuum cerneret, quòd frequentes haberet auditores: Illius eſt, inquit, chorus major, ſed meus magis compoſitus. *Plut. de Virtut. profectu.*

Ad Alexandrum Magnum Pirata pertractus erat. Cùm is quæreret ex eo. Quo ſcelere impulſus mare haberet infeſtum uno myoparone: Eodem, inquit, quo tu orbem terræ. Porrò myoparo navicula ſolebat eſſe piratica. *Cicero lib. 3. de Repub. apud Nonium Marcellum.*

Criminabatur quidam Pytheam rhetorem, quòd malus eſſet. At ille non inficias ibat (hanc enim illi conſcientia neceſſitatem imponebat) ſed reſpondebat, ſe minus omnibus qui Remp. Athenienſem adminiſtraſſent, malum fuiſſe: nempe in hoc ſibi placens, quòd non perpetuò fuiſſet ejuſmodi: putanſque ſaltem tolerabilem fore, ſi non cum peſſimis computaretur. *Ælian. lib. 14. de Var. hiſt.*

DIOGENES aliquando in Antiſthenem incidens reprehendit ipſum, ut in dicendo remiſſiorem ſe multò, & qui vix etiam altum clamans exaudiretur: ſeipſum verò tubam conviciorum appellabat. Cui verbis ſe ulciſcens Antiſthenes, pro tuba ſe ſimilem eſſe reſpondit veſpis; quæ ſonum quidem alis haud magnum edant, centrum tamen habeant acerrimum. *Stob. ſerm.* 11.

RATIONE.

☞ *Conſule Tit. Prudentiæ in Condemnatione effugienda, quatenus libertatem in ſua innocentia declaranda junctam habet.*

LACO quidam increpatus à quodam, quòd in aciem claudus deſcenderet: Pugnare, non fugere, propoſitum ſibi eſſe, reſpondit. *Val. Max. lib. 3. cap.* 3.

Pindarus *ode 2. Nemeorum in Ariſtoclidem*, paucis ſe excuſat, quòd & ſerò, & feſtinanter eam oden ſcripſerit, feliciùs tamen ipſe aquila, quæ reliquis avibus altiùs volat, id præſtiterit, quàm plerique alii graculi, & inepti poetæ, qui indigna,

& pla-

& planè humilia argumenta contexunt, nec quomodo heroem virtute clarum efficere debeant, norunt. Id quod his verbis indicat:

Eϛὶ δ' αἐτὸς ὠκὺς ἐν πετανοῖς
ὃς ἔλαβεν αἶψα τηλόθεν μεταμαιόμενος
δαφοινὸν ἀγρὰν ποσὶν
κράγεται ᾗ κολοιοὶ ταπεινὰ νέμονται.

Agesipolis Cleombroti, quodam prædicante, quòd cum adultis regnans fuiſſet obſes, non pueri, vel uxores eorum: Meritò, inſit, quippe decet nos offenſa noſtra ferre. *Plutarch. in Apopht.*

Demaratus quærenti, Cur Sparta ſolum exilii cauſa vertiſſet, cùm rex eſſet? Quia leges illic, inquit, ſunt potentiores. *Plut. in Apopht.*

Scribit in Rethoricis Ariſtoteles, Euripidem olim impietatis accuſatum ab Hygenone, cùm ſcripſiſſet, pejerandum eſſe: reſpondiſſe, Injuriam ſibi ab Hygenone fieri, cùm Dionyſiaci certaminis judicia in forum deferat: ſeque ea de re ibi dicturum, ſi accuſare voluerit. *Gyral. de hiſtoria Poet.*

Cùm delatum ad Pyrrhum Epyrotarum regem eſſet, juvenes multa probra in ipſum inter pocula effudiſſe: juſſit poſtridie ad ſe duci omnes. Ex adductis primum percontatus eſt: Eane de ſe dixiſſent? Cui juvenis: Nos verò, inquit rex, ac plura eramus dicturi, plus vini ſi fuiſſet. *Plut. in Reg. Apoph.*

Dionysius junior ſciſcitanti, qui pater ejus tenuis, & unus de plebe imperium Syracuſis quæſiviſſet: & ipſe, cùm id teneret, & tyranni eſſet filius, perdidiſſet? Pater meus, inquit, diſplicente populari ditione rerum potitus eſt: tyrannide ego inviſa. Ab alio interrogatus idem: Pater mihi, inquit, tyrannidem ſuam non fortunam reliquit. *Plut. in Apoph.*

Cùm M. Pacuvius Tragicus poeta grandi jam ætate, & diutino corporis morbo affectus, Tarentum ex urbe Romana conceſſiſſet: L. Accius tunc haud parvo junior, proficiſcens in Aſiam, divertit ad Pacuvium, pluſculiſque ab eo diebus retentus, tragœdiam ſuam, cui Atreus nomen eſt, deſideranti legit, Tum Pacuvium dixiſſe ajunt: Sonora quidem eſſe, quæ ſcripſiſſet & grandia, ſed videri ea tamen ſibi duriora paululùm, & acerbiora. Ita eſt (inquit Accius) uti dicis. Neque id ſanè me pœnitet. Meliora enim fore ſpero, quæ deinceps ſcribam. Nam quod in pomis eſt, itidem, inquit, eſſe ajunt in ingeniis: quæ dura, & acerba naſcuntur, poſt fiunt mitia, & jucunda. Sed quæ gignuntur ſtatim vieta, & mollia, atque in principio ſunt vivida, non matura mox fiunt, ſed putria. Relinquendum igitur viſum eſt in ingenio, quod dies, atque ætas mitificet. *Gell. l. 13. c. 2.*

Bello adversùm Mithridatem, Fimbria quæſtor miſſus cum Valerio Flacco conſule, mota ſeditione, & conſule à ſe in Bithynia interempto, exercitu potitus eſt: progreſſuſque Ilium, cùm Ilienſes (utpote latronem) non ſuſciperent: admoto ad urbem exercitu, undecimo die eam cepit. Cui glorianti, quòd quam urbem Agamemnon decimo anno vix cepit, cùm mille navium claſſem, & univerſam Græciam ſecum haberet, ipſe eam undecimo die cepiſſet: reſpondit quidam ex Ilienſibus: Non enim Hector aderat, qui pro civitate pugnaret. *Strab. lib. 13.*

Ant. Urceus Codrus, Grammaticus, cùm quidam ei per jocum corporis tenuitatem obiiceret, reſpondit: Non mihi deformitatem corporis, ſed ipſi rerum omnium fabricatori Deo obiicis, quando nobis ab illo omnia ad ſuum ipſius arbitrium collata ſunt: quæ ſi ex noſtro penderent voto, nihil utique eſſet, quod in nobis deſideraremus. *Bartholomæus Bononienſis in ejus vita.*

Joannes Basilides Moſcorum dux Stephano Poloniæ regi objecerat crudelitatem in detrahendo è nonnullorum cadaveribus adipe. Hanc dicebat Rex non à ſe profectam: deinde nihil in eo, contra pietatis officium, hominumque Chriſtianorum morem, qui, ex medicorum diſciplina, vel in minutiſſimas partes mortuos diſſecarent, admiſſum: Ridiculam autem miſericordiam eſſe ipſius, qui cùm in vivos omnia cruciatus exempla edat, mortuorum cura ſe affici præ ſe ferat. *Reinoldus Geidenſtenus lib. 4. belli Moſcovit.*

Retorsione.

Achab rex, Eliæ vati, qui triennio latuerat, occurrens, cujus abſentia miſerandam famem effecerat: Tune is, inquit, qui perturbas Iſraelitas? Reſpondit Elias: Non ego, ſed tu, tuaque paterna familia, qui relicto Domino Baal ſequimini. *3. Reg. 18.*

Euripides, cùm apud Alceſtidem tragicum poetam quereretur, quòd eo triduo non ultra tres verſus maximo impenſo labore deducere potuiſſet, atque is ſe centum perfacilè ſcripſiſſe gloriaretur: Sed hoc (inquit) intereſt, quod tui in triduum tantummodò, mei verò in omne tempus ſufficient. Alterius enim fœcundi curſus ſcripta, intra primas memoriæ metas corruerunt: alteriùs cunctante ſtylo elucubratum opus, per omne ævi tempus plenis gloriæ velis feretur. *Valerius Max. lib. 3. cap. 7.*

Plato de Idæis diſputans, ſubinde Menſeitates, & Cyathitates in ore habebat. Diogenes eum irridens: Menſas quidem cyathos video, inquit: menſeitatem, & cyathitatem non videò. Tum Plato excipiens: Nec mirum, reſpondit: oculos enim habes, quibus cyathi, & menſæ cernuntur: mentem verò, qua ſola cyathitas, & menſeitas cernitur, non habes. *Laert. lib. 6.*

Diogenes cuidam, quòd falsò ſignaſſet monetam: Fateor, inquit, fuiſſe tempus, quo talis eram, qualis tu nunc es, qualis autem ego nunc ſum, tu nunquam futurus es. Notabat eos, qui juventutis errores in aliis reprehendunt, cùm ipſi ne in ſenectute quidem corrigant ſuos. *Laert. lib. 6.*

Epaminondas, cùm in conventum veniſſet Arcadum, petens, ut ſocietatem cum Thebanis, & Argivis facerent, contraque Calliſtratus Athenienſium legatus, qui eloquentia omnes eo præſtabat tempore, poſtularet, ut potiùs amicitias ſequerentur Atticorum, & in oratione ſua multa invectus eſſet in Thebanos, & Argivos, in eiſque hoc poſuiſſet: Animadvertere debere Arcadas, quales utraque civitas cives procreaſſet, ex quibus de cæteris poſſent judicare. Argivos enim fuiſſe Oreſtem, & Alcmæonem matricidas: Thebis Oppidum natum, qui cùm patrem ſuum interfeciſſet, ex matre liberos procreaſſet. Huic in reſpondendo Epaminondas, cùm de cæteris peroraſſet, poſtquam ad illa duo opprobria pervenit, admirari ſe dixit ſtultitiam rhetoris Attici, qui non animadverteret, innocentes illos natos, domi ſcelere admiſſo, cùm patria eſſent pulſi, receptos eſſe ab Athenienſibus. *Probus in ejus vita.*

Inviſit Pelopidam uxor tyranni Thebe, ac mirari oſtendit ſe, quòd ita eſſet in vinculis hilaris. Cui magis ait ſeipſam demirari, quòd ſoluta Alexandrum tyrannum ferret. *Plutarch. in Apoph.*

Cùm M. Craſſus expeditione Parthica, exercitum per Galatiam ducens, Dejotarum extrema jam ſenectute confectum novam comperiſſet ædificare urbem, & ſcommate tali in illum luſiſſet: Quid hoc rei eſt, duodecima jam tibi tantùm non inſtat hora, & novam nihilominus urbem ædificare pergis? Ad ea ſubridens Dejotarus: Nec tu, inquit, Imperator ſatis matutinus, ut videtur, in Parthos moves. Annum ſiquidem ſexageſimum tunc agebat Craſſus, grandiorem tamen præ ſe ætatem ferebat. *Cælius lib. 12. cap. 9. A. L.*

Trajanus, Valentis crudeliſſimi in Chriſtianos orthodoxos Imp. dux, contra Gothos miſſus, cùm poſt malè in eo bello res geſtas rediret domum, atque objurgaretur ab Imperatore ob ignaviam, reſpondit: Non ego, ò Imperator, victus ſum, ſed tu potiùs, qui contra Deum invictum bellum ſuſcipis, atque tua impietate à te ipſo omnem victoriam reiicis. *Nicephorus Calliſt. lib. 11. Eccleſ. hiſt. c. 49.*

Magnus Sforcia, cùm ei à Sergiano magno regni Neapolitani Seneſchalco ad exprobrandam generis novitatem ligonis fabula objectaretur: In hoc, inquit, uti video, ſtirpis origine pares ſumus, cùm Adamus mortalium primus terram & ipſe foderit. Sed ego certè, quod jure diffiteri non potes, illo meo ligone multo nobilior evaſi, quàm tu tuo pene, & penna. Quo ſcommate lepidè admodum hominem transfixit: cùm in eo tanta invidia dignitatem ſtupro quæſitam, & patrem ejus ad Prætoris tribunal ignobilem ſcribam, adulteratoque teſtamento, falſi damnatum, ſcitiſſimè notaſſet. *Jovius in vita ejus.*

BONA ALIORUM DEFENDENDO.
Quæ. Defendere
Interpretationem.

Cùm LXXII. Interpretes. ☞ *Vide ſupra. Bona ſua defendere. Provocatione ad judicium periturum.*

Leges.

Charillus, roganti, cur Lycurgus tam paucas leges prodidiſſet: Quoniam, inquit, pauciloquis non eſt opus multis legibus, notans obiter Athenienſes, quorum loquacitati nullæ leges ſufficiebant. Celebratur & hoc dictum inter Thaletis ſententias apud Laertium. *Eraſ. in Adag.*

Pudicitiam.

C. Gracchus in quendam inimicum: Tune Corneliam, inquit, inſectaris Tiberii parentem? Quia verò infamis erat ille, quem inſectabatur, quò adoleſcentia ejus obnoxia aliorum libidinibus fuiſſet: Qua fronte, inquit, tecum confers Corneliam? Peperiſti verò ut illa? Atqui toti populo Romanorum notum eſt, diutiùs illam, quàm te virum à viro abſtinuiſſe. *Plut. in Tiberio.*

Tyrannicidium.

Tiberius, Tiberii Cæſaris pater, C. Julio Cæſare occiſo, cunctis turbarum metu abolitionem facti decernentibus, etiam de præmiis tyrannicidarum referendum cenſuit. *Suet.*

Religionem.

Extat Plinii Junioris Aſiam regentis ad Trajanum epiſtola, qua illum conſulit, quid cenſeat Chriſtianis faciendum, in quibus nullum videret crimen tantis ſuppliciis dignum. Affirmabant, inquit, hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ, vel erroris, quòd eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem: ſeque ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent. Quibus peractis, morem ſibi diſcedendi fuiſſe, rurſus cocundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen, & innoxium. Quod ipſum facere deſiiſſe poſt edictum meum, quo ſecundùm mandata tua hætærias eſſe vetueram. Tum commemorat, quàm latè ſerpat ſenſim, pervageturque Chriſtianum nomen, & quàm incipiant deſeri, ac frigere templa, parumque ad victimarios redire lucri.

Quorum. Puta.
Reginarum.

Philippus II. Francorum rex, repudiata Ingelberga, ſive Gelberga Dana, Mariam Moravam, ſive Boemam duxerat. Miſſus eſt ex urbe legatus Octavianus Cardinalis, Franciæ ſacris interdictum. Sueſſione rex, & Patres Franci convenere. Nullus dum prodire audebat, qui regem accuſaret. Erant nimis multi, qui diſertiſſimè, compoſitiſſimèque ejus cauſam agerent: hi ſummo ſilentio, ac propè aſſenſu audiebantur; perorabant etiam, cùm nemo vocem contrà mittebat. Tandem ex humili multitudine adoleſcens, ignotus quis, unde veniret, venia dicendi demiſſiſſimè & à rege, & à Romano, & cætero conceſſu petita, externæ, repudiatæque mulieris deſertam ab omnibus cauſam, tam ornatè, dilucidèque defendit, tam reverenter de rege verba faciens, ut in ſui admirationem omnes converteret. Fine dicendi facto ſe ſurripiens, nuſquam deinceps comparuit. Tandem ampliata cauſa, cùm Rex ſententiam contra ſe pronunciandam videret, conſcenſo equo, poſt ſe receptam Gelbergam in regiam reduxit: Maria ex mœrore obiit. *Æmilius lib. 6.*

Quomodo. Defendere.
Voto.

Val. Aſiaticus ſenator, inquirente Pop. Rom. Caii Imp. interfectores ad necem, & clamantibus quiſnam interfeciſſet? Utinam ego, reſpondit. Quam vocem cùm Senatus quoque probaſſet, ſeditio compoſita fuit. *Joſephus lib. 19. cap. 1.*

Teſtimonio.

☞ *Vide Tit. Fidei teſtimonio, quatenus aliorum innocentiæ atteſtatur.*

Contradictione.

Cœcus à nativitate, Hieroſolymis à Chriſto curatus, conſtanter Chriſtum divinum eſſe hominem aſſeruit, & Phariſæis eum peccatorem aſſerentibus reſtitit. Quapropter è ſynagoga ab illis ejectus eſt. *Joan. 9.*

BONA ALIORUM PRÆDICANDO.
Quorum. Puta
Dei.

Petrus Domino interroganti, Quid homines dicerent de eo? Tu es, inquit, filius Dei vivi. *Matth. 16.*

Blaſphemantibus miracula Domini Scribis, & Phariſæis, Mulier quædam extulit vocem, dicens: Beatus venter, qui te portavit. *Luc. 11.*

Samaritana Chriſti amico colloquio converſa, ſuis popularibus renunciavit: Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus. Itaque multi Samaritanorum crediderunt in Dominum propter verbum mulieris. *Joan. 4.*

Martha præclarè confitetur Chriſti opt. maximi divinitatem, & humanitatem: Ego credidi, quia tu es Chriſtus filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti. *Joan. 11. Matth. 16.*

Doctorum.

☞ *Conſule Tit. Judicii theorici qualiſcunque, Muſici, Mathematici, Poetici.*

Hoſtium.

☞ *Hoſtis non contemptus, partim ad Prudentiæ bellicæ locum pertinet, partim ad Veritatem in aliorum bonis commendandis, agnoſcendis, non diſſimulandis.*

Eurystheus rex captivus coram Alcmæna laudavit Herculem, virum ut fortem, *apud Europ. in Heraclidis.*

καὶ γὰρ ἐχθρὸς ὢν,
ἀκούσεται γ' ἐσθλὰ χρηστὸς, ὃς ἀνήρ.

Quamvis hoſtis, audiet benè, vir bonus exiſtens.

Philippus Macedoniæ rex illis, qui deferebant ad ipſum conciones Demoſthenis, dicebat, etiam ſeipſum, ſi dicentem audiſſet Demoſthenem, deſignaturum illum fuiſſe ad gerendum ſecum bellum. Comparabat hujus orationes propter pompoſos nervos militibus, Iſocratis athletis: oblectationem enim præbere has theatralem. *Plut. in Demoſthene.*

Æschines, cùm propter judicialem ignominiam relictis Athenis, Rhodum petiiſſet, atque ibi rogatu civitatis ſuam priùs in Cteſiphontem, deinde Demoſthenis pro eodem orationem clariſſima, & ſuaviſſima voce recitaſſet, admirantibus cunctis utriuſque luminis eloquentiam, ſed aliquanto magis Demoſthenis: Quid ſi (inquit) ipſum audiſſetis? *Val. Max. lib. 8. cap. 10.* Alii narrant, cùm orationem ſuam Rhodi publicè legiſſet, & admirantibus Rhodiis, quonam modo tanta facundia convictus fuiſſet? Atqui, inquit, nulla vos teneret admiratio, ſi Demoſthenem contra hæc diſſerentem audiſſetis. *Philoſtratus in Sophiſtis, & Plin. lib. 7. cap. 10.*

Cæcilius Metellus, Scipionis, quem vivum oppugnaverat, morte doluit, filiiſque ſuis ejus lectum juſſit ſubire. Diis autem dixit Urbis cauſa gratias ſe agere, quòd alibi non eſſet Scipio natus. *Plut. in Apoph.*

Octavius Cæſar, qui in gratiam Antonii Ciceronem proſcripſerat, cùm longo poſt tempore ad quendam ex filia nepotem acceſſiſſet: ille autem, quòd volumen quoddam Ciceronis manibus teneret, conſternatus id veſte contexiſſet: Cæſar qui animadverterat, ſumpſit volumen, & ſtans magna ex parte evolvit, reddidit inde puero, ac dixit: Doctus hic vir, fili, doctus fuit, & patriæ amans. *Plut. in Cicerone.*

Ob Balduini III. Hieroſolymorum regis obitum non amici tantùm, ſed hoſtes doluerunt. Nam Noradinus Turcarum princeps bellicoſiſſimus, cùm ad hoſtiles irruptiones, dum exequiæ pararentur regi, à ſuis inſtigaretur, dixiſſe fertur: Compatiendum eſt, & humanè indulgendum juſto eorum dolori, eò quod principem amiſerint, qualem reliquus hodie non habet orbis. *Tyrius.*

Septimo anno regni ſui rex Conradus I. ſentiens fati horam appropinquare, principes regni omnes, præter Henricum Saxoniæ ducem, inimicum ſuum acerrimum, evocavit, & eos ita affatus eſt: Vocationis meæ, inquit, tempus agnoſco, & (ut cernitis) præſtò eſt. Proinde pacem, atque concordiam ſectari etiam atque etiam vos oro: nulla vos regnandi comprehendat ambitio. Henricum Saxonum, Turingorumque ducem prudentiſſimum, regem vobis eligite, dominum conſtituite: is eſt enim ſapientia pollens, & juſtæ ſeveritatis cenſura ſubnixus. Quibus non recuſantibus, ſevocavit germanum ſuum Everhardum Comitem: Vides, inquit frater, quia ad fatum propero: tu tibi poſt hac conſulito. Sunt copiæ, ſunt arma, ſunt exercitus, ſunt urbes, & mœnia: ſatis inter principes quocunque loco fulges. Uni te cedere non diſſimules, Henrico duci Saxoniæ, propinquo noſtro. Eſt apud illum & virtus, & conſilium, fortuna ſe ſociam jungit. Si me audis, accipe regni inſignia, & ad illum perferto, teque illi, quantum potes, facito commendatum. Tu te illi, ſi ſapis, contempera. Ceciderunt fratri lacrymæ: & ille obdormivit. Acceptis autem regni inſignibus Everhardus, fratris mandata peregit. Henrico ſe, ſuaque omnia, & regni jura commendans. Ejus filio Othoni I. cùm rebellaſſet, ad Briſacum cæſus eſt. *Crantzius lib. 3. Sax. c. 1. & 18.*

Quomodo v. g.
Præconio.

☞ *Vide Tit. Præconiorum illic Honoris, hîc Veritatis habetur ratio.*

A QUANDO, NEMPE.
Poſt mortem.

☞ *Ex loco Laudationum funebrium, huc pleraque.*

Metellus debere exiſtimavit populum Romanum diis gratias agere, quòd Scipio alia in urbe vir tantus non fuiſſet natus. *Plut. de pietate erga fratres.*

M. CATO minor, cùm ſibiipſi Uticæ manus intuliſſet, quo ſpatio non credere eum caſum reſciſcere omnes domeſticos potuiſſe, adfuerunt ad fores trecenti, ac mox populus Uticenſis concurrit una voce benefactorem, ſervatorem, ſolum liberum, ſolum invictum appellantes: eaque agebant, cùm nunciaretur adeſſe Cæſarem. Cæterùm neque metus eos, neque aſſentatio victoris, neque mutua diſſenſio, vel diſcordia, ab honorando retardavit Catone: ſed corpus ejus magnifice exornatum, & ſplendidis elatum exequiis funeraverunt juxta mare: ubi nunc quoque ſtatua ejus enſem tenens poſita eſt. *Plut. in Catone.*

B MALA ALIORUM REPREHENDERE
ACCUSANDO, DETEGENDO,
Indicando.

☞ *Conſule Tit. Prudentiæ, & Urbanitatis in reprehendendis aliorum vitiis, quatenus libertatem junctam habet. Item eorum. Qui aliorum reprehenſiones moderatè tulerunt: hìc reprehendentium libertatis, illic reprehenſorum conſcientiæ habetur ratio.*

QUÆ MALA REPREHENDERINT.
PUTA
Theoricam Ignorantiam, Inſcitiam.

SAPPHO ad quandam mulierem, divitiis ſuperbientem, faſtum illius retundere volens, κατθανοῖσα δὲ κείσεαι, inquit, οὐδὲ τὶς μνημόσυνα σέθεν ἔσεται οὐδὲ πόκ᾽ ὕστερον, οὐ γὰρ μετέχεις ῥόδων τῶν ἐκ πιερίας ἀλλ᾽ ἀφανὴς κὴν ἀΐδα δόμοις φοιτάσεις. οὐδεὶς δεσὶ βλέχει παῖδα ἀυρῶν νεκύων ἐκπεποταμέναν. Id eſt, Defuncta jacebis: nulla unquam in poſterum tui memoria erit. Non enim participas roſis è Pieria. Quin obſcura ad orcum C ibis, neque te quiſquam videbit puellam evanidas reliquiſſe manes, aut ab inferis avolaſſe. *Plut. in Præceptis connub. & Ariſtides in orat. de incongruè dicto, & Stobæus ſerm. 2.*

DIOGENES Cynicus ad quendam, qui ſe philoſophum profitebatur, interrogabat verò contentioſè: Vale miſer, dixit: cùm id quod optimum eſt in vita philoſophi, corrumpas, verbis tamen audes te philoſophum jactare?

Idem divitem conſpicatus imperitum, οὗτός ἐστιν ἵππος περὶ ἀργυρωμένος: Hic eſt (inquit) equus undique argento litus. *Cælius lib. 26. cap. 17. Antiq. Lect.*

ARCHIDAMUS Zeuxidami filius, cùm videret Periandrum, qui arte medica excellentiſſimus fuerat, inepta carmina ſcribentem: Quid (ait) tibi accidit, mi Periander, ut pro inſigni medico malus poeta vocari concupiſcas? *Plut. in Luc.*

STRATONICUS cytharœdus apud *Athen. lib.* 8. muſico cuipiam, qui priùs fuerat Olitor, de harmonia cum ipſo diſputanti, dixit: ἔρδοι τὶς ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην. Quanquam in editione Aldina legitur ἄδοι pro ἔρδοι.

Philippo Macedone Fidicinem ſuper cœnam corrigente, ac verba faciente de pulſandarum fidium ratione. Dii meliùs, inquit, rex, quam ut hæc me teneas rectius. *Plut. in reg. Apoph.*

D SPYRIDON ex paſtore Epiſcopus Trimethuntis Cypri, ſub Conſtantino Magno miraculis clarus, Tryphilum Ledranum Epiſcopum (qui cùm in cœtu quodam Epiſcoporum Tyri concionaretur, & in Evangelii expoſitione: Tolle grabatum tuum, loco grabati aliam concinniorem vocem, ut ſibi videbatur, inſolentiùs commutaſſet) duriter reprehendit, publicè cum eo expoſtulans, utrùm melior eſſet eo, qui priùs grabatum dixiſſet? *Simeon Metaphraſtes Tom. 5.*

Erat Alfredus Angloſaxonum rex in exequendis judiciis, ſicut in cæteris aliis omnibus rebus, diſertiſſimus indagator. Nam omnia penè totius ſuæ regionis judicia ſagaciter inveſtigabat, qualia eſſent, juſtane, an injuſta. Deprehenſa igitur iniquitate, judices ad ſe vocatos examinabat, an per ignorantiam, an malevolentiam judicaſſent, affectibus, aut ſpe præmiorum inducti? Tumque profitentibus judicibus, judicaſſe ſe, quod nil rectius de cauſa propoſita ſcire potuiſſent: diſcretè, & moderatè illorum imperitiam, & inſipientiam redarguens, ajebat: Nimirum admiror hanc veſtram inſolentiam, eò quod Dei dono, & meo ſapientium miniſterium, & gradus uſurpaſtis: ſapientiæ autem ſtudium, & operam neglexiſtis. Quapropter aut terrenarum poteſtatum miniſteria, quæ E habetis, illico dimittite, aut ſapientiæ ſtudiis majorem quam antehac diligentiam, & curam impendite. Quibus auditis, perterriti illi ad æquitatis diſcendæ ſtudium totis viribus ſe converterunt. *Aſſer Menevenſis de rebus geſtis Alfredi.*

Mechanicam Imperitiam.

MEGABYZO Perſæ, qui in Apellis officinam conceſſerat, cùm multa garrire cœpiſſet de arte, os Apelles hoc dicto clauſit: Quandiu ſilebas, auri, & purpuræ cauſa vir eſſe magnus videbare. Nunc pueri hi, qui colores terunt, ineptias tuas rident. *Plut. de Tranquil. animi, & de Dignoſc. adul.* At *Plin. lib. 35. cap.* 10. hoc Apelli erga Alexandrum magnum tribuit.

Scitè admodum in Adrianum, necdum Imperatorem, architectus Apollodorus, cùm is per imperitiam de operibus diſſereret: Abi, obſecro te, ac cucurbitas pinge: nihil enim horum rectè noſti. Nam is tunc eo maximè placebat artificio, *Cælius lib. 1. cap. 13. Antiq. Lect.*

F *Stultitiam, Impudentiam.*

SOLON Athenienſium ſtultitiam Piſiſtrati tyrannide oppreſſorum reprehendit, his verbis.

Si quæ mala paſſi eſtis ob veſtram improbitatem, ne cauſam illorum diis imputetis. Ipſi enim eos (qui vos opprimunt) auxiſtis, dona mittendo: eamque ob cauſam dura nunc premimini ſervitute. Veſtrum autem quilibet vulpis incedit veſtigiis, omnibuſque vobis mens ineſt mollis. Linguam enim hominis inſpicitis, & verſuta verba: in opus verò, quod ſit aggrediendum, non intenditis.

Apud T. Livium lib. XXII. ab urbe condita Maharlab Pœnus inſimulat Annimalem, quòd poſt Cannenſem pugnam victorem exercitum Romam non adduceret: Non omnia omnibus dii dedere: vincere ſcis Annibal, victoria uti neſcis.

Franciſcus Ordinis Minorum pater, dum iter ageret, incidit in hominem, cujus veſtimenta diutino uſu detrita, vix pudenda corporis operuerant: & nuditatem ejus dolens ſubſtitit, ſuſpiravit, ingemuit. Frater verò, qui illum comitabatur: Quid, inquit, triſtaris ita, pater? etſi hic indumentis eget, forſan abundat concupiſcentiis. Tunc Franciſcus juſſit protinus, ut ille, ſua ſe tunica exuens, pauperem tegeret: & quia de ipſo perperam opinatus fuerat, ab eodem veniam rogaret: ac G tandem diſceret, nefas eſſe, miſerorum mores ſuggillare, indigentiam negligere. *Marulus lib. 1. cap. 2.*

Bartholomæus Coleonus, Bergomenſis, Venetorum Polemarchus, cui pro Republica bene geſta, ut Imperatori, ſtatuam auream erexerunt, Venetos coarguiſſe dicitur, quòd ſeipſos, Remque publicam homini peregrino non ſatis prudenter credidiſſent. Nam Corinthus non alia de cauſa in tyrannidem incidit, quàm quòd Timophanem Imperatorem peregrinum evocaſſet. Similiter Britanni ab Anglis, Hiſpani à Mauris, Græci à Turcis, quos ad præſidium evocarant, de imperio dejecti fuere. *Joannes Bodinus Methodi hiſt. c. 6.*

DANTES poeta, Florentinos, temerè adverſantes Henrico VII. Imperat. cœcos appellavit: idcircò, ut videtur, quòd non viderint, eum perdere velle omnia, qui tenenti arma, quod juſtum ſit, audeat negare. Petierat autem ab ipſis pro ſe, & exercitu hoſpitium in ipſorum urbe, & ut ab Aretico oppugnando abſtinerent. *Sabell. lib. 7. Ennead. 9.*

Temeritatem.

TIMOTHEUS, cùm apud Athenienſes aliquando cicatrices corpore acceptas oſtenderet Chares Dux, & trajectum haſta H clypeum: At me, inquit, quàm puduit, cùm prope oppugnantem Samum cecidit telum, quòd geſſiſſem me præcipitantiùs, quàm tanti exercitus duci & imperatori conveniret. *Plut. in Proœm. Pelop.*

Ignaviam, Timiditatem, Puſillanimitatem.

JUDITH vidua principes Bethulienſes, qui intra quinque dies, niſi Dominus ſuccurreret, urbem ſe dedituros affirmarant, ſeverè reprehendit, quòd Domino tempus miſerationis præſcriberent. *Judith.* 8.

Cùm Harpalo opem ferre Athenienſes intenderent, caperentque in Alexandrum arma; ecce tibi claſſis Alexandri præfectus Philoxenus ſupervenit. Attonito pavore populo, tacenteque Demoſthene: Quid agent, inquit, iſti, ſi Solem viderint, qui non ſuſtinent lucernam intueri rectâ? *Plut. de Verecundia animi.*

Eretrienſes, Themiſtocles dixit ſicut loligines gladium habere, cor non habere. *Plut. in Apoph.*

M. Marcellus ad Canuſium ab Annibale victus, poſtquam in caſtra recepit ſe, advocata concione: Multa, video, inquit, arma Romana, & corpora, Romanum ne unum quidem vi- A deo. *Plut. in Marcel.*

CICERO in Pompeii, & Cæſaris diſſenſione ait, Quem fugiam, habeo, non habeo, quem ſequar. Ac Pompejum reprehendit, quòd deſerta urbe Themiſtoclem potiùs, quàm Periclem eſſet imitatus: cùm res hujus temporibus, non illius, affines eſſent. *Plut. in Apoph.*

Cùm pace inita cum Perſarum rege, Jovinianus Imperator quædam loca à Romanis poſſeſſa, & inter alia Cteſiphontem urbem Perſis conceſſiſſet, præſenſque urbem eam traderet: contra totis viribus, quantum valebant, nitebantur cives. Sed cùm impedire rem non poſſent, ceu muneris loco quærebant, ut eis permitteretur ſeſe, ſi poſſent, defendere. Quòd cum à Joviniano negaretur, & penè in deſperationem cives conjecti eſſent, inter eos Sabinus liberè dixit: Conſtantius interdum à Perſis victus, ita afflicta fuit fortuna, ut eum viderim panem ab anu inopi petentem, & tamen nihil unquam de imperii finibus Perſis reliquit. Tu autem principatus tui initio Cteſiphontem urbem, locaque propinqua, quæ Romani imperii clypeus, & ceu repagulum adversùs hoſtes dici poſſunt, & debent, hoſtibus tradis? Inter hæc verba cives, B cùm è more coronam auream Imperatori munus darent, quàm difficulter Jovinianus adduci potuit, ut acciperet. Sylvanus non minùs Sabino liber, premente animi impetu: Ita te cæteri coronare poſſint, dixit: Eo verbo Joviniani ignaviam, & animam oſtendens. *Fulg. l. 5. c. 2.*

ANTONIUS monachus clariſſimus, cùm propter pugnas adversùs hæreticos aliquando ex ſolitudine Alexandriam veniſſet, & Didymus cæcus eruditiſſimus cum eo multa in Scripturis contuliſſet: ingenium primùm ejus, & acumen admiratus Antonius, cùm ſubtriſtem eum eſſe animadvertiſſet, cauſam rogavit. Ille pudore detentus, vix tandem faſſus eſt, oculorumque cladem ſe lugere reſpondit. Tunc Antonius: Miror, inquit, prudenti viro ejus rei damnum dolorem afferre poſſe, quam cum formicis, muſcis, & culicibus communem habet, ac non lætari potiùs illius boni poſſeſſione, quo ſancti ſoli, & Apoſtoli ornati fuerunt. *D. Hieron. in epiſt. ad Caſtrutium.*

AMURATES II. Turcarum rex, cùm Pannones irruerent, & fortiter dimicarent, fugam inire ſtatuit. Antequam verò fugam arriperet, vidit gregarius quidam hoc moliri regem, eumque convitiis lacerans, ut qui nequaquam honeſtè ageret, ſi fuga ſibi conſuleret, eum retinuit. *Chalcocon. l. 7.*

C *Intemperantiam, Voracitatem, Ebrietatem, Impudicitiam.*

LOTH Sodomitas cives ſuos liberè increpavit: cujus monitis ſi paruiſſent, cæleſtem ultionem ſubterfugere potuiſſent. *Geneſ. 19.*

PHILIPPO Macedoni ſermonem inter pocula cavilloſè inferenti de cantilenis, & tragœdiis, quas Dionyſius major reliquerat, atque ambigere fingenti ſe, quonam iſta tempore illi vacaſſet facere: non inſcitè occurrens Dionyſius junior: Quo tempore, inquit, tu, & ego, atque omnes, qui videmur beati, compotationibus indulgebamus. *Plutarchus in Timoleonte.*

CRATES cùm Phrynes meretricis ſtatuam Delphis poſitam auream cerneret, de Græcorum exclamavit laſcivia id collocatum trophæum. *Plut. orat. 2. de Alex. fortuna.*

ZENONEM Cittieum ſumma verecundia præcipuè habebat rex Antigonus. *Infra Tit. qui reprehenderint, §. Philoſophi.*

ARCESILAUS, cùm divitis oculos eſſet intuitus ludibundos, D atque illecebræ, voluptatiſque plenos: Nil (inquit) intereſt, quibus membris cinædi ſitis, poſterioribus, an prioribus. *Cælius l. 3. c. 28. A. L.*

STILPO Philoſophus, conſpecto adoleſcentulo, cultu, geſtuque parum virili: Non te pudet, inquit, qui pejus tibi velis, quam ipſa natura voluit? Siquidem illa te virum fecit, tu teipſum refingis in feminam. *Laert. l. 6.*

CEUS quidam venit legatus Lacedæmonem, vir alioquin jactator, & laſcivus, ut qui ſenectutem diſſimulans canos infecerat, Archidamus ſurgens in ſenatu: Quid, inquit, veri hic dicet, qui etiam capillis mentitur? *Æl. l. 7. Var. hiſt.*

Dionyſius major. ☞ *Vide infra. Qui reprehenderint, §. Parentes.*

Erat Luculli amicus, & familiaris Cato. Verùm vita, & luxus ejus adeò Catoni improbabatur, ut cùm juvenis quidam odioſam, & prolixam orationem in ſenatu de frugalitate, & temperantia intempeſtivè haberet, exurgens Cato. Tace, inquit, qui divitiis affluis ut Craſſus, vivis ut Lucullus, & dicis ut Cato. Alii dictum quidem hoc, ſed non à Catone, ferunt. *Plut. in Lucullo.* E

P. SCIPIO Æmylianus cùm haberet conſortem cenſuræ Mumium, ut nobilem, ita enervis vitæ: pro Roſtris dixit, Se ex majeſtate Reipublicæ omnia geſturum, ſi ſibi cives vel dediſſent collegam, vel non dediſſent. *Val. Max. l. 6. c. 4.*

Cùm Meſſenius Dinocrates in convivio Romæ temulentus in muliebri ſtola ſaltaſſet, & rogaret poſtero die T. Quintium Flaminium, ut molienti ſibi Meſſenem eximere concilio Achæorum aſſiſteret. Id mecum, inquit, penſabo. Miror verò te, qui tantas machineris res ſaltare inter pocula, & cantare poſſe. *Plut. in Flaminio.*

Prodigalitatem.

CAROLUS VII. Gallorum rex Hiræ magni nominis duci, ſubſidia, & commeatum contra Anglos petenti, delicias, & amores oſtendebat. At ille libera voce: Nunquam ſe alium regem, qui ſua lætius perderet, vidiſſe, reſpondit. Nimirum hæc Anglis prædæ non erunt, quæ ita profundes. Sic quoque Sardanapalus ſe cum regia amiſſo regno concremavit. *Fulg. & Egnat l. 6. c. 2. & Ægit. Corroz. de dictis, & factis mem.* F

Luxum.

Cùm Scipio Memmii cujuſdam tribuni militum jumenta deprehendiſſet cupas gemmatas deportantia, & pocula Thericlia: Mihi, inquit, & patriæ dies triginta, tibi verò ipſi vitam omnem talibus moribus effeciſti inutilem. *Plut. in Apoph.*

Avaritiam.

DIOGENES Cynicus captivus in caſtra ad Philippum Macedoniæ regem deductus dum interrogaretur à rege, Quiſnam eſſet? reſpondit: Se exploratorem eſſe ad ipſum profectum, ut inſatiabilem ejus rapacitatem videret. Ea libertate dicendi victus Philippus, ſtatim eum dimitti juſſit. *Fulg. l. 6. c. 2.*

DIONYSIUS ſenior ad filium ingreſsus, ubi eſt conſpicatus vim magnam aurei, & argentei operis, intonuit altius οὐκ ἔστιν ἐν σοὶ τύραννος, Non aſpiras ad tyrannidem, nec omnino ejuſmodi in te quippiam ineſt: quando ex tot, & tam precioſis, quæ à me ſuggeruntur, poculis, neminem prorſus inde tibi amicum conſpicere. *Plut. in Apoph.*

Quidam ex iis, qui Lyſimachi caſtra ſequebantur, num ex Ilotis eſset, interrogatus: An tu, inquit, ad quatuor obolos tuos venturum exiſtimas Laconem? *Plut. in Apoph. Lac.* G

M. CATO apertè Ptolemæo regi à Pompejo, & Cæſare ſe in regnum reſtitui petenti, Romanorum avaritiam indicavit: oſtendens, quanta relicta felicitate, quantis ſeſe ſubiiceret indignitatibus, laboribus, largitionibus, & avaritiæ principum Rom. quos redacta in argentum Ægyptus vix expletura eſſet. *Plut. in Catone.*

Cùm M. Antonius Aſiæ civitates altero tributo oneraret, Hebræas, qui pro Aſia agebat, liberè ad Antonium conversùs dicebat: Si bis anno tributum vales exigere, vales bis etiam æſtatem nobis, & bis fructus efficere. Deinde ubi ducenta millia talentorum intulit Aſiæ: Hæc, inquit, ſi non accepiſti, ab illis qui acceperunt, repete. Sin quæ accepiſti, hæc non habes, perimus. Quo dicto vehementer pupugit Antonium. Nam pleraque, quæ agebantur, ignorabat: non quòd ita foret ſocors, ſed quia ex ſimplicitate credebat ſuis. *Plut. in Antonio.*

Alexandrini Veſpaſianum Imp. Cibiotatem vocare perſeveraverunt, cognomine unius è regibus ſuis turpiſſimarum ſordium. Sed & in funere Favo archimimus perſonam ejus ferens, imitanſque (ut eſt mos) facta, ac dicta vivi, interro- H gatis palàm procuratoribus quanti funus, & pompa conſtaret: ut audiit ſeſtertia centies, exclamavit: Centum ſibi ſeſtertia darent, ac ſe vel in Tyberim proiicerent. *Suet.*

Quidam bubulcus Servus, jam ſenio penè confectus, cùm aſsumpto ad imperium Veſpaſiano domino, propter novæ fortunæ felicitatem meritum ſe putaret, quem dominus munere dignaretur: venienti in urbem Veſpaſiano ſe obtulit, & libertate donari petiit. Cùm autem minimè aſsentiri Veſpaſianum videret, magna voce exclamavit: Vero adagio dici, vulpem pilos, non mores mutare. Ita enim domino avaritiam natura inſitam exprobravit. *Fulg. l. 6. c. 2. ex Suet.*

Cùm Bajazethes II. Turcarum Imp. ſuos milites longa oratione contra Tamberlanem Tartarum cohortatus eſset, ac donativum militibus, licèt intercedentibus Baſſis, dare nollet: Unus è ducibus: Deaurandi ſunt tibi, inquit, non orandi milites, Imperator. Sed quantum video pecunia tua Tamberlanis effigie inſignita eſt. Ominoſum certè dictum fuiſse exitus compro-

comprobravit. Vivus enim in poteſtatem Tamberlanis cum A exercitu, & theſauris pervenit. *Calcocond. l.3.*

Nicolaus Raulinus, Cancellarius Burgundi ducis, Beanæ Burgundorum Xenodochium magnificum extrui curaverat. Ludovicus XI. Gallorum rex; Jure merito, inquit, ut qui ſua rapacitate multos pauperes fecit, pari prodigalitate eoſdem alat. *Ægid. Corroz. de Dictis, & factis mem.*

Antonius Leva, Mediolano præfectus à Carolo V. ut milites ſuos ſtipendiorum liberalitate in officio retineret, à cive Cererem aqua coqui vetuit, cùm venalis tantùm panis ederetur, conſtitutis ejus monopolii tabernis, unde eſurientes magno precio panem coemerent: tanta edicti atrocitate, ut plerique inopes laquei metu fame paſſim interirent. Tanta ſævitia crudeliſſimæ legis auctoritatem tuebatur, ut vel ab egentibus mulierculis, quæ deſiderio panis ſubcinericias conficerent offulas, & in ſartagine placentas oleo ſuffrixiſſent, contuſoque in pila tritico farinam exprimere conarentur, prægraves pœnas exigeret: ſic ut non infacetè, quanquam, amariſſimè, M. Antonius Canicula, quæſtorii ordinis civis, in corona diceret: Peramplam, uti reor, civis hic noſter Antonius à Cæſare gratiam proculdubiò referet: quando ei ſu- B pra tot clara cognomina ſummæ majeſtatis, novæ nobilitatis ergò Furnarii titulum adjecerit. Nam & tabernæ furnariæ, & venales panes Cæſareæ aquilæ nota ſignati, Imperiales vocabantur. *Sab. ſupp. l. 11. ex Jovio.*

Ambitionem.

Diogenes Cynicus, auctore Laertio, cùm animadvertiſſet Platonem in opiparo quodam convivio, à reliquis temperantem cibis, & oleis duntaxat utentem, taxavit hominis ambitioſam abſtinentiam, inquiens: Quid, homo ſapiens, cùm ob hujuſmodi menſas in Siciliam navigaris, nunc appoſitis non frueris? Ad quod ita Platonem reſpondiſſe narrant: Per Deos, Diogenes, & illic plerunque oleis, atque id genus cibis utebar. Ad quod rurſum Diogenes: Quorſum igitur attinebat Syracuſas navigare? num id temporis Attica non ferebat oleas. *Eraſm. in Adag.*

Idem Diogenes cùm veniſſet Olympiam, & Rhodiacos quoſdam adoleſcentes videret pretioſis, magnificiſque veſtibus amictos, cum riſu inquit: Hic faſtus eſt. Deinde cùm incideret in Lacedæmonios, laceris, ſquallentibuſque tunicis C amictos: Hic (inquit) longè eſt alius faſtus. *Ælianus de Var. hiſtor. lib. 9.*

Idem, cuidam ſibi placenti, quòd leonis exuvio tectus ingrederetur: Non tu deſines, inquit, virtutis ſtragulas pudefacere? Indecorum eſſe cenſuit, quòd homo mollis, Herculis amictum ſibi vindicaret. *Laert. l. 9. c. 2.*

Olympias cùm audiſſet filium Alexandrum diutiùs ſepulturæ honoribus carentem, jacere velut neglectum, inter crebra ſuſpiria inclamavit altiùs, miſerabiliuſque: O fili, tu quidem cœlum tibi vindicare ſatagebas, hocque unum feſtinabundus habere opus videbare. At nunc, quæ cæteris ex æquo communia omnibus cenſentur, ne iis quidem potiri vales, terra, & conditorio. *Cælius l. 21. c. 47.*

Zeno quendam aggreſſum efferri animo, alapa data monuit, Bonitatem non in magnitudine, ſed magnitudinem in bonitate ſitam eſſe: εὖ ἐν τῷ μέγα τὸ δ' ἀλλ' ἐν τῷ εὖ τὸ μέγα. *Suidas.*

Ægienſes Argivi, Ætolis victis, Pythiam interrogarunt, Quoti eſſent? Ea verò illis reſpondit: Argienſes neque tertios eſſe, neque quartos, ac ne decimos quidem. *Suid.*

D Scipionis Africani in comitiis competitor Appius: Quantum, inquit, Paule, ſi apud inferos ſentias, ingemiſcas; quòd filium tuum cenſorium candidatum publicanus ſtipet Philonicus. *Plut. in Præceptis pol.*

Indulgentiam.

Archidamas, cùm rex celebraretur Charillus, Quidnam hic, infit, bonus ſit, qui nec improbis eſt acerbus? *Plutarch. de Diſc. adult.*

Diogenes Cynicus cùm eſſet conſpicatus indecenter voracem puerum, pædagogo plagam incuſſit, inferens: Ut quid ita imbuis? *Cælius l. 6. c. 27. A. L.*

Idem, cùm celebraretur Plato: Quid verò, inquit, habet ille præclari, qui tamdiù Philoſophiam profeſſus, nemini acerbus fuit? *Plut. de Virt. Mortali.*

Sævitiam, Crudelitatem.

Ageſipolis Cleombroti filius, cùm quiſpiam apud ipſum ceu rem magnam prædicaret, quòd Philippus Macedonum rex intra pauculos dies ſubvertiſſet Olynthum: Atqui per deos, inquit, talem civitatem longè majore temporis ſpatio non extructurus eſt. Significans, multò regalius eſſe, condere E urbes, quàm condita demoliri. *Eraſm. l. 4. Apoph.*

Cùm Spartiata quidam laudibus efferret Heſiodicum carmen, quod in ἔργοις legitur.

Οὐδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτο, εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη.

id eſt, Nec pereat bos utique, ni affuerit vicinus malus, audiens Diogenes Cynicus: Atqui, inquit, & Meſſenii periere, & eorundem boves, in vicinia vobis conſtitutis. Quippe Meſſanam bello exciderant Lacedæmonii. *Pauſ.*

T. Quintius Flaminius cùm adversùs Philippum Macedoniæ regem bellum gereret, & in tractanda pace delectus ad colloquium locus eſſet: poſteàquam loco appropinquarunt, Philippus fraudem veritus, obſies à Flaminio petiit: affirmans, Romæ multos eſſe Flaminios, ſed apud Macedones unum eſſe Philippum. Ad quem Flaminius ſtatim reſpondit. Id ipſius Philippi culpa accidere, qui amicos, & propinquos omnes interemiſſet. Romano, id eſt, libero verbo, crudelitatem, atque perfidiam Philippo improperavit. *Val. l. 2. c. 2.*

Ælius Mantia Formianus, libertini filius, ultimæ ſenectutis, L. Libonem apud Cenſores accuſabat. In quo certamine cùm Pompejus Magnus humilitatem ei, ætatemque ex- F probrans, ab inferis illum ad accuſandum remiſſum dixiſſet: Non mentiris, (inquit) Pompei, venio enim ab inferis, L. Libonem accuſaturus. Sed dum illic moror, vidi cruentum Cn. Domitium Ænobarbum deflentem, quod ſummo genere natus, integerrimæ vitæ, amantiſſimus patriæ, in ipſo juventutis flore tuo juſſu eſſet occiſus. Vidi pari claritate conſpicuum Brutum, ferro laceratum, querentem id ſibi priùs perfidia, deinde etiam crudelitate tua accidiſſe. Vidi Cn. Carbonem acerrimum pueritiæ tuæ, bonorumque patris tui defenſorem, in tertiò conſulatu catenis, quas tu ei iniici juſſeras, vinctum, obteſtantem te, adversùs omne fas, & nefas; cum in ſummo eſſet Imperio, à te equite Romano trucidatum. Vidi eodem habitu, & quiritatu prætorium virum Perpennam, ſævitiam tuam execrantem: omneſque eos una voce indignantes, quod indemnati ſua re adoleſcentulo carnifice occidiſſent. Nimirum eo tempore & fortiſſimum erat Cn. Pompejo maledicere, & tutiſſimum. *Val. Max. l. 6. c. 2.*

C. Mecoenas Auguſtum Cæſarem pro tribunali ſedentem cùm libenter admonuiſſet, ne injuſtos condemnaret, nec præ multitudine populi ad ipſum Auguſtum proximè accedere poſſet, ad eum ſchedulam in hæc verba ſcripſit: Tandem G aliquando ſurge carnifex. Legit Cæſar, & quaſi aliud ſcriptum eſſet, epiſtolam in ſinum conjecit: nemineque capitis damnato, ſtatim ſurrexit: tantumque abfuit ut ex ea re moleſtiam ceperit, ut ſummoperè approbarit. Nam quoties ſupra modum iraſcebatur, coactus vel natura ſua, vel rebus neceſſariis, libertate, & licentia amicorum corrigebatur. *Dion Nicæus in Auguſto.*

Adulationem.

Polypercon videns Perſas ad Alexandrum ingreſſos procumbentes, riſit eorum ſtultitiam. Quod ubi rex vidit, Polypercontem è lecto, quo accumbebat, ad terram præcipitem dedit, ſubridenſque: Vides, inquit, te idem feciſſe, quod ſtultè in alio ridebas? *Sab. l. 4. En. 4.*

Scurrilitatem.

Diogenis, & Demoſthenis libertatem in reprehendendis Athenienſibus, quod fabulis potiùs, quam rebus ſeriis dele- H ctaretur. ☞ *Vide ſub Tit. Nugarum amatores.*

Victis ad Chæroneam Athenienſibus, Philippus rex Macedonum multò repletus mero, cum amicis ſaltationem jocoſam inivit, atque per mediam captivorum turbam debacchatus eſt, Tunc Demades orator, licèt captivus, regem alloquitur: Cùm, ò rex, fortuna Agamemnonis perſonam tibi appoſuerit, non pudore afficeris Therſitæ actiones referens? Qua hominis dicacitate pulſatus Philippus, coronis abjectis, & Demadem ipſum, & captivos reliquos liberari juſſit. *Diodorus libro 16.*

Dion Syracuſanus ſolus liberè Dionyſium tyrannum ſocerum ſuum reprehendit. Quippe cùm Dionyſius irrideret Gelonis regnum, ipſumque Gelonem, Siciliæ γέλωτα, id eſt, ludibrium dixiſſet fuiſſe, Dion indignatus. Atqui tu, inquit, tyrannide potiris, quia tibi Gelonis cauſa habita fides eſt: tui cauſa fides tribueretur poſt hac nemini. *Plut. in Dione.*

Nugacitatem.

Cteſiphontem Lacones ejecerunt, qui ſe profitebatur de re quavis totum diem poſſe dicere: dicentes, Boni oratoris A eſſe, ſermonem habere rebus parem.

Antiſthenem, quoniam multa conſcripſit volumina, Timon appellare ſolebat παντοφυῆ φλεδόνα, id eſt, varium nugatorem. Non tamen dixit εὐφυῆ, ſed παντοφυῆ, quod ingenio ad quidvis verſatili varia tractaret argumenta, & in his quædam parum digna Philoſopho. *Eraſm. l. 7. Apoph.*

Cato major à Scipione Africano rogatus ut adeſſet Achæorum exulibus advocatus, quo in patriam eis reditus conficeretur: ſimulavit rem ſibi curæ non eſſe. At cùm in Senatu magna eſſet hac de re diſputatio, exurgens: Quaſi non ſit, inquit, quid agamus, deſidemus hìc totum diem, de ſenibus Græculis quærentes, hic an illic à ſandapilariis efferantur. *Plut. in Apoph.*

Martialis in Gallicum quendam, cui ex more ſæpè repetebatur illud:

Dic verùm mihi Marce dic amabo, inquit
Vero verius ergo quod ſit, audi:
Verùm Gallice non libenter audis.

Eraſm. in Adagiis.

Curioſitatem.

B Philippus Macedo, offenſione ſibi cum conjuge Olympiade, & filio orta, cùm adveniſſet Corinthius Demaratus, ſciſcitabatur, Qui inter Græcos conveniret. Cui Demaratus: Scilicet tibi convenit de Græcorum conſenſione quærere, cum ea tecum intercedat tuis conjunctiſſimis ſimultas? Hac voce ad ſe reverſus, depoſita ira reconciliavit cum eis gratiam. *Plut. in Apoph.*

Impietatem, Superſtitionem, Hæreſim.

☞ *Conſule Epitit. ſequentem, qui reprehenderint alios.*

Sacri homines.

Cùm in numerum deorum Athenienſes, Alexandrum referrent: Qui autem Deus, inquit Lycurgus orator, cujus templo, qui egrediuntur, aqua luſtrentur oportet? *Plutarchus in vita Lycur.*

Cùm apud Daphnen Antiochiæ ſuburbium Apollo, pro more oracula poſtulatus, non reſpondiſſet, idque ſe facere propter vicinum Babylæ ſepulchrum affirmaſſet: Julianus Imper. Antiochia Chriſtianos venire, & martyris monumentum auferre juſſit. Conveniunt in Daphnen illi frequenti numero, & arcam cadaveris Babylæ læti tollunt, & inter deferendum alta voce canunt. Juliano inſultantes, Confun- C dantur omnes, qui adorant ſculptilia, & confidunt in ſimulacris ſuis. Qua re tanta quidem ibi rabie Imperator correptus eſt, ut Chriſtianos eos omnes comprehendi, & tormentis, ac ſuppliciis affici juſſerit. Tortus autem, præter Theodorum, nemo tum eſt: ideò quòd Saluſtius præfectus, cui id negotii in Chriſtianos commiſſum erat à tali propoſito Imperatorem retraxit. *Rufin. l. 1. c. 35.*

Tyrannidem.

Cn. Piso Manilium Criſpum reum agens, cùm evidenter nocentem gratia Pompeii videret eripi, juvenili impetu ad accuſationem provectus, & multa, & gravia crimina præpotenti defenſori objecit. Interrogatus ab eo. Cur ſe quoque non accuſaret? Da (inquit) vades Reipub. te ſi poſtulatus fueris, civile bellum non excitaturum: jam de tuo priùs quam de Manilii capite, in conſilium judices mittam. Ita eodem judicio duos ſuſtinuit reos, accuſatione Manilium, libertate Pompejum: & eorum alterum lege peregit, alterum profeſſione, qua ſolùm poterat. *Val. Max. l. 6. c. 2.*

D Pompejo candida faſcia crus alligatum habenti, Favonius, Non refert (inquit) qua in parte corporis ſit diadema. Exigui panni cavillatione, regias ejus vires exprobrans. *Idem.*

Cn. Lentulus Marcellinus conſul, cum in concione de M. Pompeii nimia potentia quereretur, aſſenſuſque illi clara voce universùs populus eſſet: Acclamate (inquit) acclamate, Quirites, dum licet. Jam enim vobis impunè facere non licebit. *Ibidem.*

Laberium aſperæ libertatis equitem Roman. C. Jul. Cæſar quingentis millibus invitavit, ut prodiret in ſcenam, & ipſe ageret mimos, quos ſcriptitabat. Sed poteſtas non ſolùm ſi invitet, ſed etiam ſi ſupplicet, cogit. Unde ſe & Laberius à Cæſare coactum in prologo teſtatur his verſibus:

Neceſſitas, cujus curſus averſi impetum
Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt,
Quo me detruſit penè extremis ſenſibus?

Reliquos verſus elegantes admodùm apud Macrobium lege.

In ipſa quoque actione ſubinde ſe, qua poterat, ulciſcebatur: inducto habitu Syri, qui velut flagris cæſus, præcipi- E tantique ſe ſimilis, exclamabat: Porrò Quirites libertatem perdimus. Et paulò poſt adjecit: neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent. Quo dicto, univerſitas populi ad ſolum Cæſarem oculos, & ora convertit notantes ejus potentiam hac dicacitate lapidatam. Ob hæc in Publium Mimum vertit favorem Cæſar. *Macrob. l. 2. c. 4. Saturn.*

Proditionem, Rebellionem.

Artaphernes Præfectus Sardium à Dario rege, cùm Hiſtiæus Mileſius tyrannus à rege cum exercitu veniſſet ad pacandam Joniam (quæ inſtinctu Hiſtiæi, duce Ariſtagora Mileſio, rebellaret) eum intuitus, quæſivit, quiſnam ei videretur Jones ad rebellandum induxiſſe? Cùmque Hiſtiæus id ſe ſcire negaret, Artaphernes inquit: Hunc calceum tu quidem conſuiſti Hiſtiæe, Ariſtagoras autem ſibi induit. Hiſtiæus noctu fuga ſe ad mare proripuit. *Herod. l. 6.*

Ingratitudinem.

Themiſtocles, qui nihil in rebus gerendis dixit, vel egit invidioſè, poſtquàm Athenienſes vidit faſtidientes ipſum, & deſpicientes, nihil eſt veritus dicere, Quid quæſo tumultuamtini vos, de quibus ſum ſæpius benè meritus? Et, Vos ingruente F tempeſtate ſub me ſicut ſub arborem confugitis: poſtquam diſſerenuit, vellitis prætereuntes. *Plut. de Sui laude, & in Polit.*

QUI REPREHENDERINT. PUTA

Sacri homines, Prophetæ, Apoſtoli, Sacerdotes.

Phinees filius Eleazari, eos, qui aram ædificaverant in contemptum Iſraelitarum, liberè redarguit. *Joſue 22.*

Nathan Propheta Davidis regis adulterium cum Bethſabeæ Uriæ Hethei uxore ſapienter reprehendit, eleganti parabola uſus, qua rex ſemetipſum condemnavit inſcius. 3. *Reg.* 12.

Gad Propheta Davidem propter populi cenſum graviter objurgavit. 2. *Reg. c. ult.*

Elias Thesbites Achab regem propter injuſtè occiſum Naboth ſeverè reprehendit, & familiæ ejus univerſæ exitium imminere prædixit: ut quo in loco canes Naboth cruorem linxiſſent, ibidem & Achab lincturi eſſent. Jezabelem quoque uxorem in agro Jezraelenſi à canibus laniandam eſſe. 3. *Reg.* 21. G

Idem Joram Judæorum regem propter parricidium (ſex enim fratres libidine dominandi interfecerat) & idololatriam (cogebat enim Judæos in montibus idola colere) ſcriptis literis reprehendit, eiſque cladem imminentem prædixit. 2. *Paralip.* 21.

Micheas Propheta Achab regem Iſraelitarum ob conſervatum Benadad Syriæ regem, quem perdere debuerat, graviter objurgat, 3. *Reg.* 20. & *Joſeph l. 8. Antiq. c. 1.*

Jehu Hannanis F. Joſaphat Judæorum regem reprehendit, quòd Achab Iſraelitarum regi impio contra Syros auxilium tuliſſet: & pœnas daturum aſſeruit, niſi impietati ejus Dominus ignoviſſet. 2. *Paralip.* 19.

Azarias Sacerdos reſtitit Oziæ regi Juda, volenti ſacra obire, & dixit: Non eſt tui officii, ut adoleas incenſum 2. *Paralip.* 26.

Cùm magno ardore corripuit Eſdras Judæos, qui duxerant alienigenas contra legem 1. *Eſdr.* 9. 10.

Joannes Baptiſta Phariſæis, & Sadducæis dicebat: Progenies viperarum, quis demonſtravit vobis fugere à ventura ira? *Matth.* 3. *Luc.* 3. Quinetiam ipſummet regem He- H rodem ob inceſtum coarguit, inquiens: Uxorem fratris tui non licet tibi habere. *Matth.* 14. *Marc.* 6.

Stephanus protomartyr, Judæos confidenter increpabat dicens inter cætera: Duri cervice, & incircumciſi corde, & auribus, ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis, ſicut Patres veſtri ita, & vos. Quem Prophetarum non perſecuti ſunt patres veſtri? *Actor.* 7.

Simonem magum pro Spiritu ſancto pecuniam offerentem, Petrus Apoſtolus terribiliter increpavit, dicens: Pecunia tua tecum ſit in perditionem. *Actor.* 8.

Paulus vas electionis, in reprehendendis vitiis, ſi quis alius, acerrimus eſt. Id quoque ex epiſtolis ad Romanos, Corinthios, Galatas, & Theſſalonicenſes apertè colligi poteſt. Intuens Elymam magum, qui nitebatur avertere proconſulem à fide, dixit illi: O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, & inimice omnis juſtitiæ, non deſinis ſubvertere vias Domini rectas? *Actor.* 3.